



**Ad Iehovam vindicem, de rebus Gallicis: commentatio altera  
Iacobi Franci. : complectens Historiam eorum, qu[a]e post  
Guisios fratres interfectos: & post Regem ipsum interemptum  
contigerunt Anno 1589 in Regno Franciae. Vna cum  
disputatione , de lure quo sibi Pontifex Rom. Sextus V.  
contra Regem Henricum III. sumpsit, in denuncianda ei  
excommunicatione, nisi imperata faceret. Et Refutatione  
praetextuum: quos Molitionibus & armis suis praetendunt ij,  
qui aduersus Henricum IIII. Christianissimum Galliarum &  
Nauarrai Regem hodie tumultuantur: aut tumultuantibus  
patronicum praebent.**

<https://hdl.handle.net/1874/428517>

AD IEHOVAM VINDICEM.

2

# DE REBV S GAL- LICIS:

COMMENTATIO ALTERA  
IACOBI FRANCI.

Complectens HISTORIAM eorum, quę  
post Guisios fratres imperfectos: & post Re-  
gem ipsum interemptum contigerunt  
Anno 1589. in Regno Franciæ.

VNA CVM

DISPUTATIONE, de Iure quod sibi  
Pontifex Rom. Sixtus V. contra Regem Hen-  
ricum III. sumpsit, in denuncianda ei ex-  
communicatione, nisi imperata  
faceret.

Et R E P U T A T I O N E p r æ t e x t u m : q u o s M o l i-  
t i o n i b u s & armis suis p r æ t e n d u n t i j , qui aduer-  
s u s H E N R I C U M I I I . C h r i s t i a n i s s i m u m  
Galliarum & Nataaræ Regem hodiè  
tumultuantur : aut tumultu-  
antibus patrocinium  
p r æ b e n t .

B R E M A E , Excudebat Bernhardus Petri.

A N N O M . D . X C ,

DE RIBA GEL  
TYPICIS  
COMPLEXIO ET HED  
ACQUISITAE

Complexio et Hed et Acquisitae  
bogusque et complexio et Hed  
Bogusque et complexio et Hed  
Acquisitae

Complexio et Hed et Acquisitae  
bogusque et complexio et Hed  
Bogusque et complexio et Hed  
Acquisitae

Complexio et Hed et Acquisitae  
bogusque et complexio et Hed  
Bogusque et complexio et Hed  
Acquisitae

Complexio et Hed et Acquisitae  
bogusque et complexio et Hed  
Bogusque et complexio et Hed  
Acquisitae

*AD JEHOVAM VINC-*  
*DICEM, DE REBUS*  
*GALLICIS COMMEN-*  
*tatio altera.*



VISI ORVM fratrum mortes, immane quantos, quam varios animorum mot<sup>o</sup> in Gallia concitarint. Euangelici, & è Pontificijs optimus quisq;;, in speim melioris status erecti, exultare:

Regi regnoq;; gratulari: Qui altius penetrabant, iudicia Dei extollere, in futurum Regno metuere: Coniuratis, alijs desperatione animus cadere, alijs furore erigi, plerisq;; atrox & mæsta sæuitia. Omnes intenti expectare, quid Rex deinceps inciperet.

Rex Nauarre, agnoscere presentem Dei manum, & nunquam dubium auxilium: sed vultus haud multò lætior solito, neque aduersis frangi, neq;; prosperis attolli facilis.

Rex lentitudine, an lenitidine, tanquam re confecta, cunctanter agere, subditos per literas officij admonere, arma lentè expedire: ratus fortè Regij nominis reverentiam ad cætera sufficere. Sed erat illa dudum, ciuilium bellorum licentia, & Guisianis artibus, corrupta.

Hinc coniurati, quibus percussis, nauiter instandum erat, animos resumere, arma parare: Aumalius & post eum Menius Lutetiam aduo-

lare : vrbes, oppida, quæ in fide seu perfidia potius manebant, opere munire : dubia, præsidio firmare : plebem varijs veluti flabellis accendere, & flagitijs, partibus suis deuincire. Seditionissimum queinq; rebus gerendis præficere.

Constat potuisse plerosq; attonitos opprimi, & vacillasse diu quibusdam locis plebem, inter fidem perfidiamq; dubiam. Sed eam, seditione Monachorum conciones, & Mænij aduentus, & frustra tentatum à Rege Aurelianum, & furiosæ matris, vxoris, sororisq; Guisij per urbem discursationes, præcipitem egerunt.

Vagabantur hæ tota Vrbe velut bacchantes, crinibus passis, sordidatæ, Guisij paruulos trahentes liberos, & facilem plebem, flexis ad seditionem vocibus, concitabant. Monachi & Sacerdotes missifici, in concione, in confessione, quam vocant, auriculari, publicè priuatimq; superstitionis populum incitare. Iacere confossoſ fratres Guisios, communis libertatis vindices, Ecclesiæ Catholicæ assertores : iacere cum illis, eodem iētu confossum Ecclesiam, ni eam ipsi teneant labantem.

Fuit qui die, quem Christo natalem colim', concionem ita ordiretur. Hic dies Seruatorem orbis nobis dedit: Veneris proxime superior, seruatorem vrbis nobis eripuit. Tunc à populo vniuerso iuriurandū de vindicta persequenda peteret, & obtineret. Et vindictam hanc illi tanquam rem non solum Deo gratam, sed etiam debitam stultæ multitudini ingerere, eandem-

candemque vanis & inanibus minis terrere.

Sed Aurelianenses ijsdem furijs acti , cùm à Rege de obedientia debita frustra essent admoniti , & tandem armis leuiter tentarentur , armis Regis sui arma impia primi opposueré.

Arcem Rex tenebat exiguum , exiguò præsidio. Hanc excindere , illi parant. Machinas admovent , munimenta prosternunt. Miles postquam ruinas aliquot dies fortiter tenuisset , cùm neq; numero par esset , & loci iniquitate premetur , omilla defensione se recepit.

Iam liberi Aurelianenses , exemplo suo , & fortuna , Vrbes alias partibus armarunt , alias adiunxerunt. Lutetiam , Lugdunum , Rothomagum , Tolosam , Ambianum , aliasq; piorum sanguine infectas : nempe ut quæ impiæ crudelitatis in Christi seruos participes fuerant , exdem essent huius atrocis in Regem rebellionis sociæ.

Rex interim nouis malis , noua remedia quærere , & crescentibus coniuratorum viribus auxilia sibi circumspicere. Malum præsens , præsens remedium requirebat. Germanica , Heluetica , Anglica , Scotica auxilia , certa sperabat : sed ea longinqua , eoq; tarda. Vnus rex Nauarræ ad manum .

Hic in concilio Regis grauiter certatum : dum quidam accersendum quamprimum Regem Nauarræ : alij omnia prius experiunda fentendaque contendunt. Rex ipse dubius animi

hoc etiam angebatur, quod Regem Nauarræ,  
acceptarum iniutiarum memorem futurum  
verebatur.

Sed qui erant à Rege Nauarræ alieni, Hære-  
ticum, quem tot annos Rex ipse armis persecu-  
tus esset, aduocare, neq; honestum, neq; tutum  
diccebant. Regi famæ inprimis rationem ha-  
bendam: Regi autem Christianissimo, consci-  
entiam ante omnia esse debere. Conscientiam  
pollui, ascito in societatem Hæretico, senten-  
tia summi Pontificis excommunicato: famam  
minui, si ad eum recurreret, qui tamdiu pro  
hoste fuisse. Sed, quid Pontificem, quid Hi-  
spanum, quid cæteros Catholicos Reges, prin-  
cipesq; dicturos? Quid subditos ipsos, qui o-  
dio potissimum Religionis, quam reformatam  
dicunt, ad arma conuolarint? Pontifici eodem  
loco Regem futurum, quo esset Nauartenus, &  
absq; dubio coniuratorum opera, excommu-  
nicatum iri. Hispanum, qui Catholicus, & sic  
& haberi velit, tanquam si iam de Religio-  
ne Catholica palam agatur, arma pro ea pa-  
lam sumpturum. Subditorum animos, tan-  
quam Rege in partes Hæreticorum transe-  
unte, in rebellione confirmatum iri: & Pa-  
pæ etiam auctoritatem accessuram, qui eos  
sit liberos, & Sacramento solutos pronuncia-  
turus.

Sed qui accersendum Nauarrenum suade-  
bant, fortioribus argumentis niti, ipsa inpri-  
mis necessitate, contra quam, ut veteres lo-  
queban-

quebantur, ne Dij quidem irent. Regibus famam ex fortuna constare, & hoc rerum statu primam salutis curā esse debere. Nuarrenum non tanquam hostem, ( qui ipse reuera hostis nunquam fuerit) arcessitum iri: sed tanquam Regem, cui Regum aliorum salus, etiam in exemplum & cautionem, curæ esse debeat: Tanquam proximum Regi, proximum Re- gno: tanquam Princeps regni membrum, tanquam subditum aduocari. Regem Regis auxilium implorare, nec nouum esse, nec indecens, non magis quam fratrem fratri. Regum omnium maxime interesse, inuiolatos Reges sanctosq; haberi. Quem autem Regem, quem Principem, quem etiam priuatum, non propinquorum suorum & affinium operā indige- te? Sed subditorum manus viresq; Regibus si quis subtrahat, idem eadem operā Regium no- men iusq; auferat.

Conscientiam, hic intempestive & præter rem inculcari. Olim Imperatores, Christianorum militum manu, bella non vna fecisse, confecisse. Et nuper Carolum V. Imperat: Mauricij Saxoniae Ducis, & Alberti Brandenburgici armis fœliciter vsum. Et hodie non nisi virtute Germanorū & Hungarorum, qui Pon- tificis doctrinam abiurarint, Turcam propul- sari, Imperium defendi. Hispanum ipsum, qui tam Catholicus & esse & habeti velit, Germani, maximè Euangelici militis robore, Lusitaniam occupasse.

Illos ipsos, cum quorum reliquijs hodie resit, Anno 1585. cum primùm arma in Regem caperent, Germanum militem in Principum Euangelicorum terris conscriptum, inter auxilia habuisse: hunc suo more, ab Euangelico doctore, palam verbum Dei in exercitu audire, & Sacra menta Ecclesiastica sumere solitum.

Reges Franciscum I. & Heinricum II. huius auum, patremq; cum Imperij Euangelicis Principibus fœdus iussisse, eisdem auxilijs, pecunia, milite, ad tuendam Imperij Religionisq; libertatem iuuisse. Hunc ipsum Regem, citra vllijs reprehensionem hactenus cum ijsdem illis principibus amicitiam coluisse: cum Reginæ Angliæ etiam arctum fœdus habuisse: atq; illorum amicitiae, huius fœderis hodie vel maximum fructum expectare.

Sed qui acceriri Regem Nauarræ prohibeant, eosdem, ijsdem rationib<sup>9</sup> auxilia Germanica, Anglica, Scotica, Heluetica dissuasuros. Hoc, quid aliud sit, quam Regem, regnumq; hostibus prodere?

Nugas esse, quod hic Regem Nauarræ tanquam Hæreticum differant. Esse litem sub Iudice, neq; hodie cum Rege de Religione certari: Regnum eius, vitam eius peti.

Quod excommunicatum iri dicant, magis maiores nugas esse. Nullum Pontifici Romano unquam ius in Galliæ Regnum, eiusq; Principes fuisse nec esse. Et olim Galliæ Reges, Pontificum istas sententias, pro nihilo habuisse: &

recenti memoria excommunicatam Regiam Nauarræ Iohannam , huius de quo agatur, matrem, apud Carolum IX. Regem , locum suum, Regis & Regij Senatus auctoritate tenuisse. Liberum à Pontificum libidine Galliq Regnum vt olim fuerit , ita porrò conseruandum. Itaq, nec Pontificem valde extimescendum , etiamsi in regem ipsum fulmen suum iaculetur.

Sed nec Hispanum , etiamsi palam arma in regem capiat : nec subditos ipsos, quorum iam furor eò processerit, vt vltra non possit. Pontificem mouere nihil posse , quod motum iam non sit. Hispanum iam dudum clam id agere, quod palam acturum illi minitentur. Apertum hostem facilius , quam occultum & dissimilantem caueri.

Aduersus subditos , auxilium queri , quod in Rege Nauarræ, vt proximum, ita promptissimum & certissimum sit. Namque eo animo Regem Nauarræ, in regem, Regnumq; esse, vt delecta offendarum, si quæ sint, memoria ad hoc extinguendum incendium , etiam vltro adulatorus sit.

Quare ita censebant : Quoniam Rex à coniuratis valde premeretur, Regem Nauarræ proximum regno principem , dum externa auxilia conficiuntur , quamprimum quibusuis conditionibus inuitandum atq; accersendum. Hæc sententia apud Regem & meliores valuit.

Dum hæc in Regis Concilio agitantur, Rex

Nauarræ, ne deesse regno tam incertis rebus, & regis periculum sedens spectare velle videretur, postquam singulari Dei beneficio, vitam penè ipsam, de qua grauißime periclitatum, superiori cōmentatione diximus, recepit, Ligerim versus contendit, ut Regi propior, opponere sese conatibus coniuratorum posset.

Oppida, vrbesq; quas ipsa itineris ratio obiecerat, partim subito eius aduentu territæ (est enim huius Regis, in expeditionibus belli-cis tanta celeritas, ut volare illum dicas, non exercitum ducere) partim iudicio suo, deditio-nem fecerunt. Inter eas Landunum, Insula Bo-chardi, Castelloraltum, Mirebellum, Viuonna, Blancum, aliaq; oppida, arcesq; complures.

Castelloralti, ut statum rerum specularetur, & de regis voluntate aliquid intelligeret, mili-temq; suum recrearet, aliquot paucos dies sub-stitit. Non tamen animum ipse à bellis aut cogitationibus aut laboribus interim retraxit.

Argentoniū, oppidum est Biturigum, cui arx imminet: arcem coniurati iam multos annos præsidio tenebant. Præfectus, postquam in pro-pinquo esse Regem Nauarræ, intelligit, Mæni-um certiorem facit: copias petit, quibus oppi-dum vi tenere possit, in quo suspicabatur esse nonnullos, qui Regis partes animo sequeren-tur.

Mænius haud segnis, mittit continuo mili-tum numerum, quantum sufficere iudicabat. Ciues viri boni, & Regi suo addicti, postquam

agi ista intelligunt, à rege auxilium ex poscunt,  
quo libertatem suam , contra præfidiariorum  
vim, & aduenientes copias tuerentur.

Sed tarda inde spes : erat enim Rex remoti-  
or: Fit de tota hac re certior Rex Nauarræ: cum  
expeditis aduolat, & oppidum non expectatus  
intrat. Atq; ita , familiari sibi celeritate , iam  
aduentati Mæniano militi prædam velut è fau-  
cibus eripit. Præfidiarij amissis primo impetu  
de suis aliquot, cum frustra certare se ex euentu  
didicissent, arcem etiam dediderunt.

Hic & alijs locis nihil à Rege Nauarræ no-  
uatum , nisi quòd Religionis causa exules resti-  
tuti, ijsq; relligionis exercitium datum.

Castelloralti literas ad ordines Regni edi-  
dit , modestiæ atq; pietatis in patriam Deumq;  
sanè plenas : sua hostiumq; consilia dilucide  
explicat : Ordines ad pacem amicis rationibus  
vocat. Sed eæ latine, eleganter, & cum fide redi-  
ditæ , prostant , dignæ quæ cognoscantur à  
multis.

Ibidem de inducijs inter Reges , primùm  
actum : resq; ita transfacta. Induciæ inter par-  
tes essent annuæ: Euangelici patriæ bonisq; re-  
stituerentur: Libera vbiq; conscientia viuerent:  
religionem, nisi ijs locis, quæ tūm à Rege Na-  
uarræ tenebantur, publicè ne exercent: Regi  
Rex Nauarræ armis suis auspicijsque adesset ;  
Saumurium oppidum ad Ligerim, cum immi-  
nente arce haberet : idq; sibi ad traisciendas, &  
& opus esset recipiendas copias , firmaret ; Inte-  
rim d•

rim de certis atq; æternis pacis rationibus inter-  
reges tractaretur.

Plura tum palam neq; concedere, salua apud  
Pontificios autoritate sua Rex poterat: neque  
Regem Nauarræ, saluā modestia, petere dece-  
bat: abundē hic profectum arbitrabatur, si pro-  
bare re ipsa Regi, suam, suorumq; innocentia-  
m posset, & animum pro Maiestatis eius salu-  
te, bonoque publico, quiduis ferre paratum  
ostendere.

Pactis inducijs, Rex Nauarræ, haud dubie  
salutem Regi regnoque ferens, Saumurium  
corias promouet, non magnas illas quidem,  
sed expeditas & validas, & continuis multo-  
rum annorum laboribus duratas: Ligerim  
ponte, qui ad Saumurium est lapideus, traiicit:  
Saumurio præsidium imponit.

Mænius interim non quiescere, tentare  
omnes, quorum vitæ ratio appetere res nouas  
videbatur: Plerosque luxus, egestatis, scelerum  
sibi consicos, licentia & tapinarum spe, in par-  
tes trahere. In ipso regio comitatu, nonnullos  
fide dubia fuisse constat: & in ipsa Turonum  
metropoli, multos Mæniij partibus addictos: In  
eam se Rex Blasis relictis, contulerat, eamque  
supremi Senatus sede honorauerat: Lutetia, ut  
indigna, omnibus honoris titulis, & priuilegijs  
spoliata.

Audendum igitur aliquid ratus Mænius, an-  
tequam inter reges amicitia conualesceret, aut  
præsentia Nauarseni, labantes regiorum animi  
resti-

restituerentur, Lutetiā cum expeditis properus excedit, rectā Regem petit, quem destitutum à suis, & fortè etiam proditum se occupaturum sperabat.

Vindorinū & in eo, plerosq; è iudicio aulico (magnum consilium vulgò dicunt, apud quod amicę causę disceptant) homines inermes capit.

Mænium copias eduxisse, continuo fama volat. Rex Nauarræ, oblatam sibi rei gerendæ occasionem, haud prætermittendam ratus, cum paucis equos concendit, ad Mænium cōtendit. Dùm pperat, certior fit ad Ambosiū, Mænium esse, Regem rebus suis diffidentem, cursores diuersos hinc inde, ad se accersendum, dimisissc.

Mutato itineris consilio, duobus à Turonum metropoli miliarib; ad Ligerim castra locat, postquam amplius viginti quatuor horas, armis onustus, equitasset.

Regem de aduentu suo facit certiorem. Si progredi extra urbem velit, venturum se ad colloquium. Rex hoc nuntio letus, Mareschal-lum Aumantium ad eum mittit, qui referret, Regem cum comitatu aulico, Plæflei esse, petere ut & ipse eð, amne traiecto veniat.

Plessæum, arx est regia, ad portas vrbis. Hic Nauarrenus (etli plerique boni prudentesque differendum & diffidendum censerent, & congressum eo tempore, summis operibus dissuaderent) Deo precib; exorato (soleinne illi rerum agendarum à precatione initum, & maxime dubijs rebus, certum velut à Deo consilium sumere)

(mere) cum Aumontio, & nobilitate sua, relictis  
instructis ad Ligerim copijs, Plessæū contendit.

Solent Reges proceresq; in Gallia , arcibus  
adiunctas habere sylvas amœnas, varijs de am-  
bulationum spatijs distinctas : has muris cinc-  
gunt, ijsque nobilium ferarum greges clausos  
tenent. Huiusmodi nemus Plæssæo adiacet , in  
quo inambulans, Nuarreni aduentum Rex ex-  
pectabat, & complexum cupide expetebat.

Expectabant & boni omnes , atque genua,  
veluti Seruatoris regni contingere gestiebant.  
Conuenerat procerū nobiliū, plebis multitudo,  
q̄ rei non solū insperatae, sed etiam desperatę fa-  
ma excinerat: Tātaq; aderat turba, vt postquam  
Nuarrenus aduenisset, dextras iungere & mu-  
tuo se complecti Reges diu prohiberentur.

Tandem in mutuos effulsi complexus, egre-  
gium & diu expectatum bonis omnibus specta-  
culum præbuere. Acclamationibus vndique  
resonabant omnia, fausta Regibus precantium:  
& pacem patriæ, hoc congressū ominentium.

Sed omnium in Nauarrenum ora coniecta:  
hunc tanquam Regis populique Galici ser-  
uatorem, liberatorem etiam aliquando, Deo  
dante, futurum, intuebantur, loquebanturque:  
nec vanæ voces , aut in adulationem effictæ.  
Namque nemini dubium erat, aduentu Regis  
Nuarra seruatum regem , & fortè suorum p-  
ditioni ereptum.

Neque rex ipse diffitebatur : & dixisse non  
semel ferunt, Non concessurum deinceps, vt sa-  
lutem

Iutem suam Rex Nauarræ tam vilem haberet,  
seq; ipsum tam frequentibus periculis obiecta-  
ret : eius spiritu se quodammodo viuere, viue-  
re certè Galliam, quæ eo extincto, ni eam Deus  
extra ordinem seruet, pereat necesse sit.

Salve Dauid noster, qui non solum non no-  
cere regi voluisti, sed etiam ad seruandum cum  
vltrò aduolandum tibi iudicasti.

Salve Christiane, imo hoc ipso facto, Chri-  
tianissime regum, qui tot offensarum, tot atro-  
cium iniuriarum oblitus, pro malefactis bene-  
facta rependisti.

Salve patriæ, sed ingratæ patriæ, post Deum  
seruator inuicte: Deus te nobis, Deus te Reip.  
Deus te Ecclesie seruet æternum.

Sed & tu te nobis quantum in te est, serua.  
Certè liberi lubentesque fatemur omnes, tuo  
nos spiritu viuere. Tu solus quantum in te vno  
sit, videris ignorare. Hactenus miles fuisti:  
Iam, cum Deo, Rex sis: Auspicium tuum no-  
bis atque imperium sufficit, pericula nostra  
sint. Sed non externum tantum, Verùm mul-  
to magis domesticum hostem caueas, quem in  
sinu tuo occultum imprudens gestas. Hostium  
tibi artes notæ: perfidiā certant.

Sed Quid nos hæc cura macerat? nihil neq,  
ad vitam tuam addere nos possum', neq; de ea  
hostes demere. Itaque Deus te optime & for-  
tissime regum, seruet: & seruabit, si saluos nos,  
si saluam Galliam volet.

Hæc inter Reges animorum Viriumq; con-  
iunctio,

**I**anctio, quamprimum ad Sextum V. Papam perlata est, hominem valide perculit.

Vider sibi è faucibus Francorum regnum eripi, cuius maxime viribus Tyrannis Roma na steterat: Consilia sua, conatusque omnes irritos abire. Noua igitur arma parat, & tentat, an relligione retrahi Rex possit: sciebat enim illum religioni, quam vocant Catholicæ, misere addictum. Literas prescribit, quibus auctoritate Apostolica iubet eum, captiuos quos teneat, è reliquijs coniurationis Guisianę, intra diem decimum libertati restituere: Intra sexagesimum autem diem Romanum venire, coram ipsius sanctitate, cęsi Cardinalis Guisiani ratione redditurum: si fecus faciat, excommunicationem comminatur.

Hic verò exurgere Christianos Reges Principesque velim: vereor ut frustra. Namq; vos veterus occupat, & torpor manus mentesque tenet.

Tam diu vos audaciam Romani sacrificuli ferre? Tamdiu vos eius furores spectare? Excommunicatum Regem Nauarrę vidistis, maximis viribus impugnatum, Hispani terribiles apparatus, conatus etiam Pontificios in medio vestrum: neque vos commouisti.

Hec verò iam extrema audacia est: nec san serenda, nisi eis, qui ferre omnia digna, indigna decreuerint. Satis ante Imperatorum Principumq; patientia peccatum est, quorum culpā subuersa iacet.

Pristina

## *Pristina Maiestas Soliorum.*

Hactenus ille, tanquam si Deus sit regna eripit, donat, transfert: Quid enim hoc aliud est, quam Deum agere?

Suaue, quod Attrabalipa, eatum terrarum, quas Hispanorum auaritia aperuit, crudelitas exhaustis, Rex potentissimus, Monacho dicenti, Donatas Regi Castiliæ terras illas à Pontifice: Mirari se respondit hominis dementiam, qui quæ neq; sua, neque in potestate sua essent: donaret alienis.

Lubet adscribere quæ in Concilio Ratisbonensi, Eberhardum Episcopum Salisburgenensem dixisse referunt. Sub Pontificis maxi- Aueni,  
lib. 7.  
mi titulo, pastoris pelle lupum saeuissimum, ni-  
si cæci sumus, sentimus. Romani Pontifices  
arma in omnes Christianos habent audendo,  
fallendo, & bella ex bellis serendo magni facti  
sunt: oves trucidant, occidunt, pacem con-  
cordiamque terris depellunt, intestina bella,  
domesticas seditiones ab inferis eliciunt: in-  
dies magis ac magis omnium viges debilitant,  
vt omnium capitibus insultent, omnes deuo-  
rent, vniuersos in seruitutem redigant &c. Cre- Ver⁹ heu  
nimium  
vates.  
dite experto. Non cessabunt donec Imperato-  
re in ordinem redacto, Romani Imperij ho-  
nore soluto, pastoribus veris expulsis, per hunc  
morem omnia extinguant, omnia pedibus suis  
conculcent, atque in templo D E I sedeant, ex-  
tollanturque supra id omne, quod colitur. Qui  
seruus seruorum est, Dominus Dominorum,

perinde ac si D E V S esset , esse cupit . Noua  
consilia sub pectore voluntat , vt sibi constituant  
Imperium . Leges commutat , suas sancit : coh-  
taminat , diripit , spoliat , fraudat , occidit . Per-  
ditus ille Homo , quem Antichristum vocare so-  
lent , in cuius fronte contumeliam nomen scri-  
ptum est , D E V S S V M , E R R A R E N O N P O S-  
S V M , In templo Dei sedet , longe lateque do-  
minatur .

Verè ille , verè sanctus vir . Iniurias Impe-  
ratoribus factas , bella inter proximos diffemi-  
nata , scelera patrata commemorare possim , si  
lubeat : sed ea in historicorum omnium illius  
ævi libris , prostant .

Et recentia sunt , quæ proferre possim : Delu-  
sum à Paulo Pontifice , Gutzmannum , Legatum  
à Ferdinando Imp . vt ei Ferdinandi ipsius ele-  
ctionem nunciaret , & dimissum , postquam tres  
integros menses Romæ Pontificis autoritatem  
frustra expectasset : negante videlicet Pontifice  
licuisse aut Carolo V . Imperium alij , quam  
ipsi Pontifici cedere , aut Ferdinando Imperij ad-  
ministrationem absq ; Pontificio consensu , sus-  
cipere .

Ganth.  
Ligut.  
lib. 3.

Nùm Petrus , aut Clemens , nùm cætera turba  
Sceptra Latina dabat ? { priorum .

**A** libertum Austriacum Imp : ab Electori-  
bus , bis electum liberis suffragijs , & ter-  
tiò confirmatum , Papa Bonifacius confirmare  
recusat ,

recusat, quamvis præter decus Majestatis Imperatoriae ter sollicitatus: negans potuisse eum absq; consensu suo eligi, cu ius authoritas tam spiritualis, quam sacerdotalis, summa esset in regna & Imperia.

Tam superbam sententiā, ut fastu aliquo insigni firmaret, prodit in publicum histrio, ense accinctus, corona ornatus, iactitans se & Papam esse & Cæsarem.

Videns hominis insaniam Imperator ratus tempestue paranda aduersus eam auxilia, cum Rege Francorum sœdus init coram: cuius literæ exstant in regni Archivis his verbis: Albertus Dei gratia Rom: Rex semper Augustus, vniuersis, &c. Nos & Serenissimus Philippus Dei gratia Rex Francorum, amicus noster charissimus, iniuiimus, voluimus, consensimus, & ad iniucem concordauimus, ac etiam promisimus fidē data, nomine Iuramenti: Iurauerunt etiam in animas nostras nobis præsentib⁹, videlicet pro iam dicto Rege Franciæ, spectabilis vir Comes Sancti Pauli: pro nobis verò vir nobilis Burcardus Comes, auunculus noster carissimus: quod ex nunc erimus ad iniucem veri & fideles amici, ac in nostris ac regnorum nostrorum & Imperij honoribus, libertatibus, & statibus mutuo conseruandis, contra omnem hominem veri & validi adiutores. Quodque inter nos ac hæredes, successores nostros, & Francorum Reges & Imperatores, pacis, & fidelis amicitiae sœdera, perpetuis duratura tem-

poribus, seruabantur, &c. Actum & datum,  
nobis & præfato Rege Franciæ præsentib' apud  
Quatuor valles die Martis, octaua mensis De-  
cembris, Anno Domini 1299. Indict. 14. Regni  
verò nostri Anno 2.

Libuit adscribere hæc verba, vt cogitent  
Imp. Reges, Principes eadem ratione, nempe  
sædere arcto obuiam cundum iniuriæ & furori  
Sixti V. qui miscere omnia cogitat, & regna le-  
gitima euertere, vt audaciam suam exercere  
possit impune.

Quibus artib. exagitatus fuerit à Papa, Hen-  
ricus Imp. concitato in eū filio, notius est, quām  
vt referre pluribus debeam. Sed lubet adscriber-  
re initium Epistolæ, quam Imp. ipse ad Regem  
Francorum scribit, vt pateat, quantam eo tem-  
pore in Reges Francorum fiduciam afflīcti à  
Pontificibus Imperatores habuerint, Princeps  
Clarissime, inquit, & omnium in quibus post  
DEVM speramus amicorum nostrorum fi-  
delissime. Primum & præcipuum inter omnes  
vos excepti, cui conqueri & deplorare calami-  
tates & omnes miserias meas necessarium  
duxī, etiam genibus vestris aduolui, si liceret,  
saluā Maiestate Imperij. Vide in quas angusti-  
as Imp. Roman. adduxerit extrema Pontificis  
audacia. Tota deinde Epistola narrat, que in-  
digna à Filio passus sit: Filio in Patrem à Ponti-  
fice concitato.

Quid Maximiliano secundo Imp. negocij  
fuerit cum Pontifice, pro erectione & colloca-  
perato-

tione Dignitatum secularium, ex publicis Imperatoris ipsius oppositionibus constat.

Addam, Iohannē Philippi Burgundiæ ducis Filium captum à Turcis ad Nicopolim Anno 1396. posteaquam liberatus in Galliam redijt, Regi retulisse: Turcis ignotum non esse, quemadmodum Pontificum audacia, Christiani orbis tranquillitas turbaretur. Nihilq; adeò mirum illis videri, quām Reges & Principes, tantam illorū licentiam atq; audaciā tamdiu ferre.

Vos Reges, vos Principes, quibus potestas à Deo data est, qui arma geritis, quæ opponere isti feræ Bestiæ legitimè possitis, quid officij vestri sit videritis. Nisi fortè statuistis, in posterū, non Dei gratia Reges aut Principes vos scribere, sed Sixti V. gratia Reges aut Principes. Sed seruate quæso Deo, quæ Dei sunt, & huius audaciam, quæ se supra DEVM extollit, compescite.

Ego ad te venio, Sixte quinte. Seruus Seruorum iubes Francorum regem, id est, antiquitate, dignitate, legitima potentia, primum totius orbis terrarum regem, regem tantum supra cæteros Reges, quantum supra subditos suos cæteri Reges (ita enim quidam ex antecessoribus tuis loquitur) Regem, inquam, Francorum, à quo tibi tuisq; Imperium in alios, à quo tibi tuisque terræ & dominia, à quo tibi tuisque salus non semel contigit: Hunc iubes, homines, qui capiti eius regnoq; tot annos infidiantur: homines, in ipso penè scelere depre-

hēnsos , liberare : id est feras bestias , cauē  
emittere , quæ in ipsum rursus incurvant ; Re-  
gnumq; vaſtent & perdant .

Hic se verò Sanctitas tua , & concium sce-  
leris illorum atque fautorem , & hostem Regis  
regniique prodit . Itāne tibi salus summi Regis ,  
summi regni tranquillitas Vilis est , vt exposi-  
tum denuo audaciæ improbissimorum homi-  
num velis ?

Nempe illa gratia est , quam rependis Regi ,  
à cuius prædecessoribus habes , quicquid habes ?  
cuius Maiores liberandis Pontificibus , propa-  
gandæ tyrannidi eorum , augendæ potentiarum  
toties Alpes , toties Pyrenæos , toties maria tran-  
fierunt ? qui ipse pro Tyrannide tua , regnum  
suum sanguine ciuili sæpius cruentauit ? qui  
pro te tuisq; in acie stetit , vitamq; suam Marti  
incerto sæpius exposuit ?

Iam illum ad Tribunal tuum vocas : nimi-  
tum vt rationem reddat , quare regno sibi à ma-  
ioribus suis relicto , sibi à Deo commendato ,  
vltrò non cesserit : Quare lacerandum perden-  
dumq; Francorum regnum improbissimis ho-  
minibus non reliquerit : quare ipse iugulum  
sicarijs & latronibus non præbuerit . Hoc enim  
voco , rationem de Guisijs fratribus interfectis  
reddere . Si minus paruerit , excommunicatio-  
nem intentas , id est , regni eius proscriptionem .

Vnde tibi seruorum serue , Sixte Quinte  
tantum ius in Reges & supra Reges omnes ?  
Regem , & Regem Francorum vocandi in ius ?

Regem

Regem ad rationem supplicij de sceleratis sumpti reddendam, vocandi? Vnde quæsto tibi hoc ius? Si à Deo, Si à D. Petro, profer literas, profer Instrumenta: non illa Romæ data, sub annulo Piscatoris, Datarij manu subsignata: Sed Instrumenta Cœlo missa, cruce Christi signata, sanguine agni Dei subscripta. Illa requiro: & tu quæreris frustra. Nisi hæc fortasse adducis, Quod Filius Dei censum Cæsari soluerit, cum supradicto, Redde Cæsari, quæ Cæsaris sunt: Deo, quæ Dei. Quod Apostolus apertis verbis Rom. 13: scripsiterit: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Audi⁹ Sixte? audis? Omnis. Interroga Aristotelem tuum, super quem, magnam partem exædificata est Religio tua, quid illud Omnis sibi velit. Nisi forte negas, te hominem esse: quod accipio; ex antiquo dicto.

*Papa, stupor mundi  
Nec Deus es nec Homo.*

Et quis hominem dixerit, non coruum potius vel dæmonem, hostem generis humani, quæsto. Eum qui toties Imperatores, Reges, Principes, Non om̄ subditos inuicem commiserit? Qui toties terrarum orbem sanguine gaudens repleuerit? qui ipse tot annos hominum, & hominum Christianorum sanguine latus pascatur?

Sed & D. Petri quem iactas hæc vox est: Estote subditi omni humanæ creature scū ordinationi propter Deum, siue Regi tanquam præcellentí, siue Ducib⁹ tanquam ab eo missis, &c.

**Matth. 19.**

**2. Cor. 10.**

**Tit. 3.**

**Distin. 95.  
cap. Esto  
subiectus.**

**Dist. 99. ca.  
primæ.**

Hæc Christi, hæc Apostolorum præcepta sunt, Si hæc tibi non sufficiunt, Audi Christum: Principes gentium, dominantur eorum, non autem ita erit inter vos: inquit ad Apostolos suos. Audi Paulum Apostolum: Arma militia nostre non carnalia sunt. Et alio loco: Admone illos Principibus & potestatibus subditos esse.

Sed & compilatores Iuris tui audi, qui centonibus suis dictum Hieronymi insertum voluerunt: Episcopi, sacerdotes, se sciant esse non Dominos. Nam si te supra Episcopum putas, tui te ipsi conuincant. Primæ sedis Episcopus non appelletur Princeps sacerdotū, vel summus Sacerdos, aut aliquid huiusmodi, sed tantum primæ sedis Episcopus. Sed hæc alijs dicta, tractata sunt.

Vides quid à Deo, quid ab Apostolis habetas: ab hominibus quid, habes? Nempe à Constantino, inquis, ab Imperat: & Regibus Francorum, sumnum ius habeo concessum & cefsum.

Quàm hoc verum sit non disporto. Sed si ius tuum ab illis agnoscis, hoc ipso, Dominos illos, & supra te, & benefactores tuos agnoscis. Multa hi, Imperatores inquam, & Reges Francorum in te dignitatis ornamenta, multa beneficia contulerunt: fateor. Sed ius sibi sumnum etiam in te tuosq; reseruarunt, & usurparunt, qui inter eos viri fuere.

Et dederint, quod contendis, submiserint sc̄, subiecerint arrogantiæ Pontificiæ: calcandos

sc̄ tuis

se tuis pedibus, deridendos prudentibus inepto  
Zelo, præbuerint. Hoc sibi illi fortasse ad tem-  
pus faciendum duxerunt: Successores, quibus  
alius animus, alia res, non obligarunt. Et tu,  
Ingratus, ista vrgebis? An nescis, iure, quod  
ab vrbe tua profectum, nunc orbem regit, Do-  
nationem ingratitudine solui? An nescis eodem  
iure, ingratum libertum in seruitutem retu-  
hi? Sed:

*Romanus tempore prisco*

*Pauper erat præfus: Regali munere creuit.*  
Nec tamen ut fasces, & Regni iura Latini  
*Vel dare presumat, vel cuiquam tollere possit.*  
Excessere modum, magnorum munera Regum  
Si tantum cuiquā ius in sua Regna dederunt.  
Sed neq; tanta fuit largitio, nec dare quicquā,  
Quo caret ipse, potest, huius collatio Regni  
Autorem sortita Deum, contingere nulli,  
Iure potest hominum: Collator muneris huius  
*Est Deus: hoc summis Regnū cōfertur ab astris.*

Gunth.  
Ligur.  
lib. 3.

**E**T sit tibi Imperatorum aut donatione, aut  
concessione, aut patientiā ius hoc in Roma-  
num Imperium, cuius tu sedem Tyranne, oc-  
cupas: Quid tibi in Galliam Iuris?

Namq; audaciam tuam Reges, sed Capetij Extr. meo  
in primis, nunquam tulerunt: saepe euagantem ruit de  
represserunt. Et è tuis, si quid hoc ad rem facit, Priuileg.  
non Reges tantum & Principes Francorum, li- &c.

heros iugo tuo , sed ipsam Ecclesiam Gallicam declarant.

Sint tamen ista in te collata : an tuum fuit ea recipere ? Te hominem relicto mundo sanctitatem professum : te seruum seruorum : te vestigijs Christi & Apostolorum insistentem.

Christus se seruum seruorum , non verbo professus est, sed reipsa praestitit , cum & Cæsar is iura agnouit , & pedes discipulorum , non in pompam lauit , & inde pro hominum genere indignissima omnia , & tandem ignominiosam mortem , tanquam ouis passus est. Regnum etiam quod ei reuera Regum Regi à populo deferebatur , non solum repudiauit , sed fugit etiam in desertū , ut se populi molestia liberaret.

Et tu ad istam normam viuis , qui Seruus seruorum , Rex Regum esse affectas ? qui Seruus Seruorum Imperatoribus & Regibus tanquam pedissequis abuteris ? Qui Seruus seruorum glorioissimorum Imperatorum colla, foetidis pedibus tuis calcas ? Qui Seruus seruorum , te supra id omne quod Deus est , extollis ?

2. Cor. 4.

D. Paulus se & suos seruos Corinthiorum profitetur , per Iesum inquit . Tu Dominus esse nisi per Diabolum , non potes . Consule Aristotelem tuum : Conclusio non fallit . Sed tu , abi in malam rem , cum isto iure tuo : quod ut cœperit , ut creuerit , alij dixerunt : Et remedia Italia tua , ciuilis prudentię magister Macchianellus , & inter historicos bonus author Guicciardinus .

Macch.  
lib. 1. hist.  
Guicciard.  
in fragm.

Hie

Hic vero tui insistent, præter leges sublatum  
Guisum Ducem, sed Cardinalem præter fas  
omne.

An præter leges sublatus videri potest, qui  
supremo Magistratu iubente tollitur? Non vi-  
detur: ea enim magistratui authoritas. Sed  
clam & per dolum sublatus est. Ita regni Re-  
gisq; necessitas ferebat, nec si se Rex regnumq;  
suum saluum volebat, aliter licebat.

Veteres Romani arbitror salutem populi,  
supremam legem esse volebant. Idem in Re-  
gno sequimur, salutem Regis & per eum Re-  
gni supremam legem habemus: nec Regem  
toto administrationis cursu Cynosutam aliam  
intueri decet secundum Deum, quam salutem  
Regni, in quo & ipsius Regis & populi salus  
consistit: cursum alias suum non tenebit, &  
impellet in scopulos, aut vadis adhæredit nau-  
fragus.

Palam & per ordinarium iuris processum  
tolli è medio illi absq; manifesto regni pericu-  
lo non poterant. Tām alte, tām late radiees e-  
gerat coniuratio.

Et Leges in eum valere vis, qui leges con- L. D. de  
culcabat & fundamenta Regni conuellebat? dolo.

Sed valeant Leges, quibus dolus bonus est,  
& pro solertia habetur, qui aduersus hostem,  
latronem, aut insidiatorem usurpatur.

Valeant illæ, quib. nocturnum furem quo- Cic. pro  
quomodo interfici, impunè veteres voluerunt: Milon.  
A furem: quid Latronem, Particidam, quid  
Regis

Regis sui cædem , patriæq; subuersionem machinantem? Quæ illi quælo adfieri iniusta nex potest?

Valeat illa à natura non scripta sed nata lex : quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus : ad quam non docti , sed facti , non instituti , sed imbuti sumus , vt si vita nostra in aliquas insidias , si in vim, in tela latronum aut inimicorum incidisset , omnis honeste ratio esset expediendæ salutis. Silent enim Leges inter arma , nec se expectari iubent, cum ei qui expectare velit , antè iniusta pœna luenda sit , quam iusta reperenda.

Exempla sacra , Prophana proferri possint : Sed quid exemplis quid rationibus opus, in re, cuius Vim atq; impetum quisq; in seipso sentit ? Si hoc priuato ad tuendam salutem suam licet, quid Regi liceat, ad suam totiusq; Regni, tot bonorum , tot miserorum salutem conservandam ?

Vt in Guisium licuerit : In Cardinalem, quod Regi ius fuerit, quæratis : Dicam : quod cuilibet etiam priuato , in quemlibet hostem, latronem , insidiatorem : quod Regi in subditum.

Nullum vitæ genus, nulla professio, obedi- entiam quam Regi subditus deber , soluere unquam potest: Dominorum in seruos, patrum in liberos potestas, certis olim modis soluebatur. Regum in subditos, nisi per scelus, non sol-

in li-

uitur. Et supra commemorauit diuinus Apostoli Röm. 13.  
sententiam: Omnis anima, &c. Contra quam  
si sit, recte in Diuinum præceptum incurritis.

Hispaniarum Regi Philippo, an vos vitio  
vertitis, quod in Lusitaniam, Episcopos, Mona-  
chos, presbyteros qui Regis Antonij partes Ant. Ref.  
constanter sequebantur, partim feedissimis car- in ep. ad  
ceribus incluserit, partim veneno, aut crucia- Gregor.  
tibus necauerit? Non vertitis. Ita vobis, idem,  
prout expedit, modo æquum, modo ini- Post.  
quum est.

Vos Regum iudicia repudiatis: positos vos  
extra eorum potestatem iudicatis. Non ita tor  
olim sancti viri, qui morte sua Christi doctri-  
nam inter saeuissimos confirmarunt cruciatus,  
Iudicibus ab Imperatoribus datis, quantumuis  
iniquis, crudelibus, impijs, volentes obtempe-  
rabant.

Colimus Imperatorem (inquit Tertullia-  
nus) quomodo & nobis licet, & ipsi expedit, ut  
hominem à Deo secundum, & quicquid est à  
Deo consecutum: Solo Deo minorem.

*Regem timendorum in proprios greges:*

*Reges in ipsos Imperium est Ioui.*

Homo.

Nihil est tertium, quod aut solutum Impe-  
rio sit, aut Imperium in Reges ipsos habeat.

*Diuinsum Imperium cum Ioue, Cæsar habet.*

Reges nostri, ne ab ipso quidem Pontifice,  
vbi causa suberat, iustas manus abstinuerunt.

Phi.

Philippi Pulcri Regis, verè pulcrum, verè Regium facinus vulgo notum est.

Ad hunc Bonefacius 8. P.P. legatum miserrat Episcopum, qui transmarinam ei expeditionem iniungeret. Absentiam Regum & Imperatorum Pontifices procurabant, ut liceret interim sua confirmare atq; augere: illorumq; vires cum potentissimis Alia, aut Africæ Principibus collise, frangerentur.

Legatus postquam ei Rex non omnino sati facit, minitari incipit: ni obtemperet, Regno à Papa priuatum iri. Insolecentem legatum, Rex carcere coerct. Hic verò ardens Pontifex, alium in Galliam alegat, qui Regem tributa solita ab Ecclesiasticis exigere prohibeat: Regem hæreticum, regnum ad Ecclesiam recidisse pronunciet. Extant eius ad regem, & Regis ad eum literæ.

Res eò deuenit, ut Lutetiam vocatis Proceribus & Ecclesiasticis Regni, post expositam Pontificis audaciam, Rex ab illis quæreret, cui terras & possessiones suas acceptas ferrét, quem pro Rege & supremo Domino agnoscerent? Omnia vna vox fuit: Regem eum & Dominum esse: ab eo se terras & possessiones, quas tenerent, habere: Imperaret, obtemperatus: duceret, sequuturos.

Coactus tandem Papæ iniurijs, Nogaceti-um Nobilem Vasconem, cum copijs in Itali-am mittit. Hic, captum Pontificem, carceri mandauit, in quo vitam finiuit ut Canis, qui intrauerat ut Vulpes, regnauerat ut Leo.

Quid Orthōem Tertium Imperatorem dicam? Is Iohannē XVIII. P P. captum, post effos oculos, digitos amputatos, Saxo Tarpeio praecepitem dari iussit.

Vetera illa relinquo. Recens est memoria, Theod.<sup>a</sup> vrbis Romæ, Caroli V. Imperatoris manda- Niem: tu, Caroli Borbonij virtute captæ, & cum Car- Naucler. alij. Cardinalibus Pontificis obfelli.

Sed diu nimis mihi cum hoc Monstro res est. Itaq; totum hoc argumentum claudio Apo- stoli verbis, Nemo Deo militans, implicat se <sup>a. Tim. 27</sup> negocijs secularibus.

Addo Synesij sententiam, quam et si vir magnus, doctrina, iudicio, probitate magnus, non omnino probat, ego omnino amplector: Ciui- lem virtutem sacerdotio iungere, esse miscere quæ misceri non possunt, nec debeant.

Mihi Gostau Regis consilium placet, quod vrinam sequantur Reges cæteri, Principesq;: & sequantur necesse est, si se, regnaq; sua atq; Ecclesiæ saluas volunt. Ille virtute sua partum Suecorum Regnum, capere noluit, nisi prius Episcopi & Ecclesiastici, potentia, qua Regum autoritatem imminuebat, seditiones ex- citabant, omnia denique pro libitu licenter turbabant, Renunciasent. Non dominari illos, sed docere debere: Et si Christi atq; Apostolorum, non modò successores, sed discipuli sint, humilitatem & patientiam profitentes subiectos legitimè potestati esse debere.

Audio Moschos, quantumuis Barbaros,  
Episco-

Episcopos lingua sua Vladie vocare , id est , di-  
spensatores , qui & verbum Domini dispensa-  
re, tanquam pabulum ouibus, debeant : & fa-  
cultates , quas Principum Nobilium', ciuium  
liberalitate vbiq; habent amplas , non luxui,  
aut auaritiae impendere, sed charitati : easq; in-  
ter pauperes & egentes distribuere. Et recte  
nostris, Ministros dici atq; esse voluerunt : quod  
teneant fortiter, suadeo.

Nimis hæc multa à me Sixti V. impuden-  
tia extorsit : Dabimus tamen aliquando, si opus  
sit , huic quæstioni diem suum.

*Redeo ad Historiam.*

*ad regnū*  
**I**nsidiabatur dudum Regi Mænius : & occu-  
pare eum ante Regis Nauarræ aduentum  
properabat. Sed Regis Nauarræ celeritas, vti di-  
xi , & ad seruandum Regem promptus anim⁹,  
rem tūm Gallicam seruauit. Retrocessit enim  
ad famam aduenientis Nauarreni Mænius.

Sed Rege Nauarræ ad alia profecto , redijt  
Mænio animus , & repetenda sibi pristina consilia  
per Nauarreni absentiam , putauit. Rem  
cum Monachis majoris Monasterij , ad quos  
ventitare Rex solebat, ita componit , vt de Re-  
gis aduentu eum certiorem facerent , & sceleri  
operam suam commodarent. Certior factus,  
venturum postridie Regem , properus cum co-  
pijs accedit : iam inopinus adest.

In Vrbe trepidi omnes, Nauarrenum inuo-  
care: Rex qui iam ad monasterium iturus, vrbe  
excef-

excesserat regredi, militem qui ad manum erat, hinc inde ad arcendum hostem disponere : Interim Regem Nauarræ accersere. Rediit paulò post Rex Nauarræ ad imperium Regis, opportunè : & Mænius, tanquam Solis fulgore fugata nubecula, re infecta, recessit, & Lutetiam se abd. dit.

Rebus in Turonum, Andium, Pictonumq; ciuitatibus compositis, Rex, Nauarrenum à se longius amittere, haud tutum sibi regnoq; ratu, cum eo Lutetiam versus agmen dicit. Iter illis ferè ad Ligerim Baugencia cum, quod oppidum septem miliaribus Gallicis infra Aureli- 22. Maij. styl. n.<sup>1</sup>

anum in fide manferat.

Inde copijs præter Aurelianum ductis, Ger-golum, super Aurelianum miliarib<sup>9</sup> quatuor, obsidere visum : Eo occupato flumen in potestate futurum, & pressos Aurelianenses, faniora fortasse consilia capturos. Admota igitur tormenta : disiecta munimenta, oppidanus & præsidiarius miles, desperatis auxilijs, Regis se arbitrio dediderunt. In paucos rebellionis autores, ducesq; animaduersum, intercedente Nauarreno, & Regis exacerbatum meritò animum, quotiescumque se dabant occasio, mitigante.

Territa vicina oppida, Gianum (quidam Genacum Cæsaris arbitrantur) Caritas, aliaq; quæ hactenus nec in coniuratis, nec extra coniuratos fuerunt, miserè, qui ditionem facerent, & ciuium voluntates facultatesque offer-

C

rent :

rent : Pecuniae ijs imperat<sup>x</sup>, & annona.

Gergolio, præsidio munito, in Belsiam, (seu Beotiam maius) perrectum. Hic primum Regi Nuarre (ducebat is primam aciem) Pluviarium (Pluuiers vulgo dicitur in fertilissima Belsiae parte situm) obuium fuit. Spem ciues, milesq; de ditione primūm facere : Ita tempus extrahere, dum auxilia à Mœnio veniunt. Dum de conditionibus agitur, Ecce nuncius, appropinquare missum à Mœnio militem. Sic rupto colloquio, illi se in oppidum festinantes, receperē : Nuarrenus miles insequi, & asséqui. Sed illorum expectatio frustra fuit : at non militis Nuarreni diligentia. Nam oppidum illo impletu captum & direptum est.

Huius rei fama, oppida amplius viginti ad ditionem traxit.

Et hoc ferè tempore Castillionæus cum paucis Carnutum versus excurrens in Saueusam, ignarus ignoratusq; incidit. Ducebat Saueusa Cōiurate nobilitatis florem ad trecentos & amplitus equites. Non prius penè vtrinque hostes adeisse cognitum, quam ad manus ventum est : Magna virtute vtrinque pugnatum. Sed Coniuratorum ea pertinacia fuit, vt ne vieti quidem abstinerent : quotunque conuenerant, etiam quinque, sex, septemvix, agmen facere, & in Regios incurrere, tanquam mori, quam vivere præoptarent. Ita omnes aut cæsi, aut capti. Quodam ita mente captos suisle memorant, vt vitam amittere, quam coniurationi renuncia-  
re, &

re, & arma contra Regem sceleratè sumpta ponere mallerent.

Sed neq; alijs locis Regij legati cessant. In Normannia Dux Montpenserij Regiae familiæ Borbonius Princeps, multa millia Rusticorum, qui inani libertatis spe, & rerum nouarum studio pellecti, arma furiose sumpserant, ad modum militarem, à nobilib<sup>o</sup> quibusdam, qui ipsis aderant assuefacti, aliquot prælijs cecidit.

Et ad Siluane<sup>m</sup> etum, quod est oppidum decem miliaribus Lutetiâ, Picardiam versus (Senlis vulgo dicunt) Dux de Longeuilla, cuius<sup>e</sup> Lanous à Rege, Sedano excitus iunxerat, Coniuratorum exercitum, in quo ciuium Parisiensium magnus numerus, ad rebellandum, quām bellandum aptior, fudit fugauitq;, & tormentis quibus oppidum oppugnabant, exuit.

Iam has aliquot horas tibi dedi, Lector: tu mihi hanc pagellam condona. Postquam legeris, commodabis etiam Lachrymas, si bonus es, si pius: Et si prudens, Christianæ Reip. atq; Ecclesiæ vicem dolebis.

Namq; in morbum circa hæc tempora incidit, Vir illustris Iacobus Segurius Pardilianus: quo postea ad diem XI. Junij nobis eruptus est: Vir, & ore & more imaginem honesti referens: opum honorumq; contemptor, recti pericax. Ut anima ita ore liber, eoq; gratus bonus, grauis improbis.

Doctorum, sed bonorum amans: illos ignava opera, Philosophâ sententiâ, non ferebat:

eruditionem grauem, seriamq; à qua in publicum boni mores, bona valetudo manarent, complectebatur: illa acuminis irriti ludicra, & difficiles nugas, auersabatur.

Iam pietate & animi robore, supra vulgi, pènè etiam dixerim supra hominis captum, ingeniumq;

Sed non ille ad huius seculi gustum: Seculi improbi, maligni, ingratii, quo vitijs malisque artibus, non modo impunitas, sed apud plerosq; etiam honos: innocentiam atque virtutem vix usquam sine periculo, aperte colueris.

Henrico tamen, quem hodie Christianissimum Regem Francorum & Nauarræ boni latentes intuentur, à puerō carus. Meritò. Nam, & ipsi Segurio, vna illa post Deum cura: hunc per bonas artes (pietatem, virtutemq;) quām florentissimum videre.

Certè ita iudicabat: & erat ei, rara Regis indoles, à puerō nota: Quantum perspicere humana mens posset, neminem inter huius aū i Principes, præstare Reip. atque Ecclesiæ Christianæ posse, quæ hic, multis indicij, argumentisq; præstiturum se pollicebarur.

Erat ille familia inter Aqnitanos illustri natus, à qua & sub qua prima pœne ijs locis religionis iacta semina, immensum adoleuerant.

Primos annos bonis artibus: cæteram ætatem Reip. atq; Ecclesiæ dedit. Adolescentiam & illum florem ætatis sub armis egit.

Vbi maturior illa, & rebus gerendis simul ac regen-

A. 6. 1. 1. 10

regendis ætas accessit , tūm legationibus Galliam, Angliam, Belgium, Germaniam, Helvetiam obire, laborare, vigilare : negotijs publicis intentus, sua negligere : Bonos omnes passim ad communem Ecclesiæ defensionem adhortari : prudentibus, animum addere : imprudentibus, mala imminentia exponere.

Vbi infelices Theologorum dissensiones, & disputatiunculas inanes, officere bono publico videt , vias ad concordiam quærere : ad eam omnes vocare: non corpori , non sumptibus, non virtutē parcere.

Hominem, supra hominem, id est, non sibi, sed Ecclesiæ, sed Reip. sed cuiuis potius, quam sibi natum , audis. Sed quis illi , vera dicenti, scribenti, fidem habuit ? Ex ijs , qui præsentia adferre remedia poterant, nemo : Boni, plerique ad arcenda mala, parum potentes, quæ ille prædicebat, taciti ventura videbant, & huius seculi stupiditatem, taciti deflebant.

Quorundam ea audacia, is furor fuit, ut virorum optimi , non solum famam , per mendacia, impudentes differrent , verum etiam vitam, per latrocinia, sceleratè peterent. Sed malebat ille famam boni viri, quam conscientiam ad tempus etiam perdere.

De vita incuriosus erat. Fiduciam in Deum sibi circumdederat , murum inexpugnabilem.

Infelix seculum ! quo, quæ sentias , quæ videbas, dicere non liceat ! Tu vero felix Seguri, confecto innocenter cursu tuo , iam hac serui-

tute liber, viuis : & viuis , cum Deo, beatus eternum.

Fratres duos narrant , cum non adessent boues, currum matris subiisse, & ad templum per multa stadia traxisse. Matrem hac filiorum pietate commotam, petijisse à Deo, ut quod maius haberet bonum, filiis pro hac pietate redderet. Illos eodem die extinētos. Voluisse Deum mortalibus ostendere : nullum contingere homini bonum maius posse, quam ex hac misera & caduca vita, ad illam beatam , aeternamq; transi-  
tum.

Quid ni & nos, beata Seguri anima, redditam tibi à Deo , pro tot laboribus, pro ipso, pro ipsius Ecclesia (cuius currum toties subisti) suscepisti , amplissimam mercedem credamus ? Credam ego certè. Sed ad laudes tuas non addam plura.

Scio esse qui inuident: Scio esse , qui exandescant. Et veritati his moribus , quam mendacio, praesentius periculum. Tibi à Deo cui seruisti, tua merces : hominum iudicia, neque tuo, neq; meo nomine quicquam extimesco : neque tu illa quæsisti : nec quæram ego , si tuum exemplum sequar : sequar autem quamdiu mihi hæc à Deo vita suppetet.

Sed Regius exercitus, capto Pluuiario, com pluribus oppidis receptis , Belsia peruagata Stampas venit, Lutetiā miliaribus xiiii. Ad ditionem inuitati, ferociter respondent. Igitur oppugnatio cæpta. Postquam impares se vident

vident, quamuis ipsi præfidiarius miles ades-  
set, colloquium petunt: nec duces negant.

Sed teneri miles, qui & ipsa pugna & spe  
prædæ incaluerat, non potuit, quin, per ruinas,  
quas tormenta fecerant, intraret, urbemque  
diriperet. Seditiosorum duces pauci, capite  
puniti.

Hinc circa Lutetiam arces multæ: oppida  
quædam, alia vi, alia ditione in potestatem  
Regis venerunt.

Pontisarenses (Pontoise, oppidum ad Isa-  
ram, quo fluvio in Sequanā, inde Lutetiam ple-  
raq; ad viëtum vitamq; necessaria deueniuntur)  
firmopräsidio, quo tenebantur, & viciniā Mæ-  
nij freti (namq; septem exiguis miliaribus Lu-  
tetia disiuncti sunt) parere noluerunt. Probra  
etiam non dicenda, non cogitanda in Regem  
iécere: &, si dedere se velint, quod pignus toti-  
es fractæ fidei, datus esset? Dixisse Regem  
aiunt, cùm relatum hoc ad eum esset: si de fi-  
de sua dubitarent: sponsorem se Regem Na-  
uarræ daturum.

Iam de Rege Nauarræ eam opinionem Rex  
conceperat, vt nisi eo authore, eo duce, nihil  
sibi aggrediendum, nihil agendum putaret.  
Quem absentem, summo fuerat odio persecu-  
tus, cum præsentem, dum virtutes eius præ-  
fens intuetur, amat, & complectitur: Ita sit, vt  
plerunque opinione & fama, non iudicio cer-  
taue ratione in odium alterius feramur.

Igitur circumfessum oppidum, trans & cis

Isaram oppugnari cœptum. Cùm autem transi vado Isare, non facile posset, hoc incommodum oppugnantes patiebantur, vt submittere inuicem auxilia, & laborantib⁹ adesse non possent. Postquam hoc Rex Nauarræ animaduerit, ponte iungere flumen aggreditur. Rationem suis, flumen ipse ingressus, præscribit: operique instat, & addit animos. Confectus intra paucas horas pons, oppugnantibus difficultatem libere commeandi, obsecris spem diutius resistendi abstulit. Capta hinc inde suburbia, tandem ciues militesq;, ad deditioñem adacti, imperata fecerunt.

Iam occupatis circa Lutetiam oppidis, arribusq; petenda ipsa coniurationis arx Lutetia, olim Regni, nunc rebellionis caput, directo videbatur. Et accelerant Regi Heluetius miles, quem vastata Sabaudia & Lacu Lemano repurgato, Sancæus, Nobilitas Picardiæ, Campaniæ, Burgundiæ, quam Dux de longauilla & Lanoins ducebant.

*Boris de  
Vincennes*

Non possum hic fortitudinem fidemq; militis præterire, qui hactenus Vincennarum arcem tenuit. Arx est penè ad portas Parisiensium, veteri opere munita, cui nemus adiacet amœnum, præalto muro cinctum, ex more gentis. Hæc à morte Guisij in hunc diem in fide mansit, vi à Parisensi plebe saepius tentata, conatu irrito: Sed defendunt eam, non tam munimēta, turresq;, quam plebis illius imbelis, & militis, non minis, non promissis, non

auro

auro expugnabilis animus. Hic te, Philippe  
Macedo tenuisset, quamvis aditus sit a sellis eti-  
am pluribus onustis auro, facilis.

Rex verò dispositis copijs ad Pontem D. Clo-  
doaldi (seu Clodouæi mavis: Sainct Clau Gal-  
li dicunt) diuertit, ad Seuanam, duobus Galli-  
cis miliaribus Lutetia: Rex Nauarræ cum suis  
Meudonum, Lutetiâ miliari uno: namq; cùm  
primam aciem duceret, semper proprius hostem  
sibi mansionem deligebat.

Mænius postquam tenere, contra vires regi-  
as, vrbem non potest, ad solitas suorum artes  
decurrat. Non enim tam armis illi, quām per-  
fidia, immisis beneficis, Sicarijsq; bella confi-  
ciunt. Monachus ad hanc rem aptissimus vi-  
sus: & Monacho persuadendo, fœmina, Mæni  
foror delecta: fœmina ultra fœminam ferox,  
cui peccatum instructum dolis, & decus pudorq;  
iam dudum dominatione viliora. Vetus est  
verbum, Nihil tam arduum, tam sceleratum,  
quod non Monachus, quod non fœmina au-  
deat. Vtrumq; infelix experta est Gallia.

Monachus præterea, ad conficiendum faci-  
nus aptus, ideo maxime videbatur, quod isti  
hominum generi, ad Regem superstitione eo-  
rum deuinatum, liber aditus erat. Inuentus est  
inter Dominicanos (Iacobitas aut Iacobinos  
alij vocant) iuuenis annorum XXIII. (Ætas ad  
audendum prompta) Nomen Jacob' Clemens,  
qui Regem interficiendum sibi Parricida fu-  
met.

Olim

*De monachis* Olim eiusdem ordinis Monachus Imperatorem Henricum VII. e familia Lucelburgica, infecta veneno missali hostia, in Italia sustulerat.

Hic illius improbitatem audaciā superans, Regem Francorum in ipso Regni Meditullio, tollere cultro aggreditur. Culter paratur ancesps: literae adduntur ad Regem, confictę, tanquam ab Harlao, Senatus Parisiensis (illius veri rectiq; ) Principe, quem captum Lutetiae, ob constantem in Regem fidem, detinebant: ut & prætextus itineri esset, & cō promptius ad Regem admitteretur.

Ita armatus, habitu suo urbem egreditur: à Nauarreno milite excipitur: felicia omnia nunciarum Regi venire dicit: & literas ab Harlao ferre. Transitus datus: ad Regis procuratorem generalem deuenit: ei aperit, habere se præter literas secreta mandata, quæ nemini præterquam Regi audeat annunciare. Procurator generalis rem ad Regem defert: ille admittitur. Nam quæ Regi poterat esse de Monacho suspicio? Animi sui in istiusmodi homines, & benefactorum sibi ipse conscius erat, ignarus nullis meritis mitigari perfidiam posse. Admissus, literas offert.

Dùm Rex intentus legit, ille cultro inferiorem ventrem petit, & ferit. Rex vulneratum se sentiens, in hominem inuolat, cultrum vulnere extrahit: Parricidam, eodem cultro, bino iectu verberat. Accurrunt cubicularij, & Monachum

nachum ira incensi, multis vulneribus conficiunt. Medici vulnere Regis inspecto, iudicant nec lethale esse, & sanari intra paucos dies posse. Animus qui Regis præsenti periculo abierat, cunctis redit.

Rex Nauarræ bellicis negotijs intentus: alij Principes, proceresq; confessim accersuntur, tanto scelere attoniti: pleriq; suo Regisq; periculo trepidi. Rex bene sperare iubet: Interim Regi Nauarræ parere.

Secretario Anglico, qui legati absentis nomine in comitatu Regio erat: Scribere, inquit, ad sororem meam Reginam Angliae, Hispanicas has esse artes, quibus & ipsa saepè petita sit: sed futuram salutem nostram Deo curæ. Sub noctem ingrauescere morbus, præter Medicorum spem.

Cum finem instare sibi Rex videt, accersiri Principes proceresq; regni iubet; ad concordiam eos, & constantiam hortatur. Arma ne ponant, nisi purgato latronibus regno. Vltionem sceleris, & ipsis & Regibus Principibusq; omnibus, quoru maxime intersit, sacrosanctos Reges Principesq; esse, commendare: eam persequi illis & decoru, & in exemplu utile futurum. Sed Reges, alibi mortales, in Gallia, certa successione, eternos. Superstitem esse Dei gratia, Regem Nauarræ, fratrem suu & regni iustum successorem: cuius toto orbe nota virtus, nec ipsis ignota sit, qui per eam seruati sint: ei parent, eum obseruent, colant, ament.

His

His alijsque in eam sententiam dictis, postquam & acceptas iniurias omnibus condonasset, inter suorum non fictas lachrymas expirauit, hora post medium noctem, circiter tertia.

Exterorum Regum exitus cum reproto, plures à suis interemptos quam aut sua morte, aut hostili manu defunctos reperio. Inter tot Francorum Reges (plures sexaginta numerant) hic, ni fallot alter, perfida suorum manu cecidit. Sed hoc indignum, nouumq; quod Monachi manu.

Iam patientur illi, & laudabunt, Monachos Regum interfectores, & referent inter Diuos: Regem non ferent, qui iustum manum, proditori Sacrificulo intulerit.

Bessarionem Cardinalem dicere solitu narrant, non paucos se legere in Diuorum numero, cruce quam cœlo dignos. Tibi Bessario, ut penè adsentias, facit hic Iacobus Clemens, Sicarius & parricida, relatus inter Diuos.

Rege defuncto, vna omnium voce, Rex Navarræ HENRICVS Rex Francorum, proclamat: fidem ei atq; obedientiam, ut suo Regi ac Domino, quem natura, quem Lex, quem Deus ipse dedisset, sacramento promittunt Principes, Regij sanguinis, Proceres Regni, Nobilitas omnis, & ipsa exercitus turba: & indignam Domini sui necem vindicaturos, Iureiurando firmat: spiritum etiam ante, quam ultionem amissuros. Multorum animi abhostibus, missis & largitionib<sup>z</sup> tentati, sed nemo reper-

repertus est, cuius aures aut animus corruptioni  
paterent.

Hoc verò non tacendum, quod quidam Vir  
sane bonus, cum à præcipuis coniuratorum du-  
cibus crebris literis sollicitaretur, & inter eos  
vnus scripsisset, quoniam ipsius Rex mortem  
obijsset, tanquam amicum ei omnino consule-  
re, vt se Catholicorum partibus tandem adiun-  
geret, &c. Respondit se ab hoste & proditore  
consilium capere non solere.

Sed Rex, gnarus, quæ suspicio animos Pon-  
tificiorum terret, liberam cuiq; relligionem  
relinquere profitetur: & nominatim Catholi-  
cam, Apostolicam, Romanam, sub tutela sua  
futuram. Prudenter. Nouerat, quæ ipse cum  
suis ad Relligionis libertatem consequendam  
tenendamq; perpessus tot annos fuerat: noue-  
rat non animis perinde ac corporib<sup>9</sup> imperari:  
& corpora, corporisque morbos, ferro & igni  
curati, in animum istis instrumentis, nihil es-  
se iuris: imo irritari violenta manu ingenuas  
mentes. Sed esse verba & voces, quibus redu-  
cere errantes animos in viam possis:

*Et magnam morbi depellere partem.*

Recte prudens & fortis Rex Theodoricus,  
Religionem imperare non possumus, quia ne-  
mo cogitur, vt credat inuitus.

Sed fuerunt, qui Regi ipsi ob Religionem,  
quam tot annos, per tot incômoda, per tot peri-  
cula, bonus constansq;, tenuerat, molestiam fa-  
cerent,

cerent. Impudentes sanè homines, qui quod si-  
bi liberum volunt, Regi suo liberū esse nolint.  
Et miror etiam homines Ius & sapientiam pro-  
fessos, putasse egregiè officio se suo defunctos, si  
publicationi editi Regij subiecissent, Petere se  
à Rege, ut Catholicam Apostolicam & Roma-  
nam Religionem deinceps sequi vellet. Verba  
sunt ista : Sed non verba illa de quibus modo  
dicebam , quæ errantem reducant , ægrum sa-  
nent. Verba dico, in quibus Spiritus sit & vita,  
non inanis aëris repercussi sonus. Nempe hoc  
vobis liceat, religionem sequi, modo hanc, mo-  
do illam: vobis qui, religionem vestris cōmodis  
æstimatis: At Regi nostro suam tenere non li-  
ceat ? qui & Deum nouit, timetque , & vitam  
illam beatam, æternamq; sperat.

Placet, quod è Regni proceribus vñus , Vir  
religioni, quam Catholicam vulgi errore di-  
cimus, addictissimus , de isto hominum gene-  
re, Regi ipsi dixit: iube, inquit, illos , qui tibi  
moleste religionem istam inculcant, prius sibi-  
ipsis religionem aliquam capere : Nam Deum  
testor, inquit, istorum nemō religionem ullam  
ex animo colit: Si penitus inspicias, Athēi sunt.

Sed profectò alienissimo tempore , Regem  
ad religionem vestram vocatis. Scilicet eam  
hodie religionem amplectetur Rex, in qua Re-  
gum interfectores, Di sunt ? Absit.

Sed ipsius Regis inter tantas molestias , ad-  
mirabilis & prudentia & constantia fuit. Nam-  
que, volebant hi, Romanam religionem am-  
plete-

Plesteretur, ea relicta, quam, ne relinquaret,  
mundum hunc pñè reliquerat: Certe Regna  
vitamq; suam contemperat: minas etiam ad-  
debant, Ni faceret, iam iam se fidem exuere,  
& domos suas discedere.

Illi suadebant, vt ad tempus dissimularet:  
alij vt intra certum tempus promitteret religio-  
ni Pontificiae nomen se daturum. Regno, sub-  
ditisq; dandum aliquid: & maiorem eius lau-  
dem futuram, (ad quod armis minisque cogi,  
blanditijs pollicitationibusq; ingentibus addu-  
ci nunquam potuisse, si, postquam nobilissi-  
mum & amplissimum omnium Regnum legi-  
tima successione consecutus esset, Religionem  
suam bono publico condonaret.

At Rex: Velut pelagi rupes immota resistit.  
Regi famæ imprimis rationem habendam, in-  
quit, Sed viro bono, conscientiæ. Vtramque se  
personam sustinere: Ita enim Regem esse, vt vir  
bonus esse velit. Virum bonum aliquando et-  
iam per medium infamiam, conscientiæ consu-  
lere: Regem, si bonus est, famam ex læsa con-  
scientia non quarere.

Sed religionis illa subita mutatione, neque  
ad famam libi quicquim accessurum, nisi forte  
inconstantia notam, quæ in Rege turpissima  
sit, & conscientiæ suæ multum decessurum. Fa-  
mam ab hominibus esse, conscientiam Deo da-  
ri, Deo autem seruiendum magis, quam ho-  
minibus. Et si utilitatem suam spectet, à quo  
diuitias, Regna, honores, nisi à Deo expectet?  
Vniuersam terram eius esse, eam eiusque parti-

**Omnia in se habet, o- mnia assūt penes est pietas.** culam dare, afferre, cui velit. Ei se placere in primis cupere: Cupere & ipsis, qui cum rogét, subditisq; omnibus gratificari: sed de consci- bona, quē si desertores Regis sui & esse & audire velint, liberum esse discedere. Regno se carere, quam Cœlo malle.

Quod dissimulationem quidam suadeant, alienum à sua natura esse. Falli, se ut hominem posse: fallere alios, nec posse, nec velle. Et si homines fallat, an & Deo fucum facturus sit? Timere, ne qui alios fallere cupiat, ipse se omnium maxime fallat.

Promittere autem, quod præstare nolit, sibi insolens: solere se stare promissis: hoc amicos, hoc hostes scire, qui fidem suam integrum sanctamq; experti essent. Sed ne pertinacem se potius, quam constantem arbitrarentur, docerent ipsi meliora: securum.

In hanc ferrè sententiam Rex: Sed ut solet breuiter & argute: nec mihi acutam illius & elegantem breuitatem assequi fas.

Regis rationib<sup>9</sup> Proceres acquieçere. Non autem furiosa plebs, non plebis incentores Sacrificuli, Non Mænius, non Lotharingus, non Sabaudus, non Hispanus, non Pontifex. Et qui acquiescere possent ingenia, quietem pacemq; pati nescia? Plebem suus mos agit: Sacrificulos & cōcionatores suus furor: Alios ambitio inex- saturabilis transuersos abripit. Rationes & iuxta singulorum, breuiter liceat expendere.

Istis

Istis in hoc conuenit, Henricum Regem  
Nauarræ non esse recipiendum. Rationem ad-  
dunt: Hæreticum esse. Non licere autem Hæ-  
retico Regni successionem capere. Namque  
quin alijs successioni proximus sit, paucos re-  
perias, qui dubitent.

Gaude Rex Christianissime, Idem tibi quod  
Danieli accidit. Quærebant in eum, crimen Sa-  
trapæ, nec inueniebant: itaque dixerunt. Non  
inueniemus aduersus istum crimen, nisi forte  
in lege Dei sui. Nihil hi habent, quod te coar-  
guant, nisi religionem tuam, id est, verum Dei  
cultum. Ob hunc tu illis hæreticus: Regno &  
luce indignus. Sed qui Danielem de lacu leo-  
num liberauit, idem & te seruabit contra isto-  
rum insidias.

In Daniele, cum è lacu extraheretur, nulla  
inuēta est lœsio, quia CREDIDIT DEO SVO.  
Hactenus nec te lædere potuerunt tot hōstes,  
variâ perfidiâ, Quia CREDIDISTI DEO  
TVO, nec te porrò lædere poterunt, si pergis  
CREDERE DEO TVO, & apertis fenestris  
numen illius adorare & intuocare, qui te ab ex-  
tremo Galliarum angulo, Pyreneisq; tuis, in lu-  
cem terrarum Orbis, ad capessendum Franco-  
rum Regnum, regendosq; imperio populos,  
pacemq; orbi Christiano reddendam, eduxit.

Sed Rex, hereticum se negat: & ego, ob  
hæresin neminem successione arcendum, Re-  
gnoue mouendum contendeo. Si hæreticus is  
habendus est, qui Deum in spiritu & veritate

colat, qui vnum solum Deum verum, & quem  
misit Iesum Christum agnoscat: qui utriusque  
Testamenti libros vnicè amplectatur, tum neq;  
ego Hæretici nomen valde refugiam. Sed cer-  
te hæreticum eum non dicetis.

At à fide aberrat, inquisis. An aberrare eum  
à fide dicitis, qui in solum Christum fidem col-  
locat suam? Magnus, nuper, verus & sanus  
Theologus, Martinus Bucerus, dicere solebat.  
Nunquam se aliquem cōdemnaturum, in quo  
aliquid Christi esse animaduerteret: Sed illud  
quod Christi in eo esset, amplexurum, & hoc  
nomine fratrem luci f. cere conaturum. Verē  
Christiana vox, quam vtinam nescio quā ho-  
die Theologorum purgamenta, filij Belial, tan-  
dem sequerentur.

Sed huius Viri auctoritate video vos non  
commoueri; Nec ego: pietate, caritate com-  
moueor. Auctoritate D. Pauli commouor:  
Fundamentum, inquit, nemo aliud potest po-  
nere, præter id, quod possum est: quod est  
Christus Iesus. Si quis autem super ædificat su-  
per fundatum hoc, aurum, argentum, la-  
pides pretiosos, ligna, sœnum, stipulam, vnius-  
cuiusq; op' manifestum erit: Dies enim Domi-  
ni declarabit, &c. Si cuius opus manserit, mer-  
cedem accipiet: Si cui' opus arserit, detrimen-  
tum patietur. Ipse autem saluus erit, sic tamen  
quali per ignem.

Hoc fundatum, Christum Iesum, Rex  
posuit, & penitus posuisse, vita, labores, peri-  
cula.

cula, ærumnæ, pro eo toleratæ, palam faciuntur;  
Si quid superædificatum, quod fundamento  
non respondeat, ostendite & docete, si potestis;  
aut id in Diem Domini relinquite. Ille, proba-  
bit, purgabitque; Sed fundamentum manebit  
immotum, & in hoc fundamento, etiam qui  
fœnum, stipulamque; ignis pabula, super ædifi-  
cauerit, saluus erit.

Nos vnum crucifixū , & verè pro nobis crucifixum Iesum Christum, nouimus , in eo solo acquiescim⁹, eo solo cum D. Paulo gloriamur. Vos si plures , si innumerōs Christos nostis , si Sanctorum turbam nostis , non inuidemus. Sinite nos vno illo nostro contentos viuere, multitudine vestra, gaudete. Solum ea nouimus, & vix tamen nouimus, quæ sacrī libris Deus per Spiritum sanctum nobis aperuit. Vos , si quid scitis amplius , & si quid post Apostolos , à Spiritu sancto, Ecclesia vestra habuit , aut docete illa nos miseros , docete, inquam , in fide & dilectione per Iesum Christum : aut, si tām habebitis sumūs , vt assequi illa mens nostra non possit, condolete, si Christi estis, & orate Deum, vt aperire nobis oculos mentis velit.

Pergitis : Pontificis primatum non agnoscit,  
& Ecclesiæ Romanæ Ceremonias non sequitur.  
Quid hoc ad fundamentum? Neq; Pontificem,  
neq; Romanam Ecclesiam fundamentum vo-  
bis Paulus posuit : imo totâ scriptura sacrâ ne  
verbum quidem de Pontifice Romano inueni-  
as, & Romanam Ecclesiam leges, vt Corin-

thiorum, ut Colossensium, Ephesiorum, alias.  
Nos, quæso, ne patiamur nos ab fundamento  
illo æterno I E S V C H R I S T O abduci, & ad  
homines traduci, id est, pro fundamento, fœ-  
num & stipulas collocare: leue fundamentum,  
& quod in die illo Domini, non perstabit.

Sed de Pontificis primatu magna questio  
est, & alijs exposita. Nec eam ego hic tangam,  
nisi hoc summo digiro. Primatum habere se à  
D. Petro Pontifex iactat, Sed primatum in D.  
Petro, nec D. Paulus agnouit: nec tamen eum  
pro hæretico, aut Apostoli, aut Ecclesia habue-  
runt. Nam cùm vidissent, inquit ipse Paulus,  
quod creditum est mihi Euangelium præputij,  
sicut & Petro circumcisionis ( qui enim opera-  
tus est in Petro in Apostolatum circumcisionis,  
operatus est & mihi inter gentes ) & cum co-  
gnouissent gratiam, quæ data est mihi, Iacobus  
& Cephas, & Iohannes, qui videbantur colum-  
næ ecclæ, dexteras societatis dederunt mihi, &  
Barabæ, &c. Petrum ad Iudæos ablegat: sibi,  
commendatos gentiles.

Cicero, ni fallor, errare cum Platone ma-  
uult, quām recte sentire cum alijs: Rex noster  
cum D. Paulo, hæreticus esse, quām cum Papa  
Orthodoxus: Si quis esse & cum D. Paulo hæ-  
reticus, & cum Papa, contra D. Paulum Or-  
thodoxus potest.

e. nullus  
99. dist. Sed eodem Argumento, hæreticos dicetis  
Gregori⁹ Pelagium 11. & Gregorium Papas, qui & pri-  
passimi, matum illum auersati sunt, Et Episcopos om-  
nes

nes pro fratribus habuerunt. Errare autem Papam non posse, apud vos constat: multo minus in hærelin cadere.

Addam & hoc cum bona venia tua, Lector, ex Concilio Chalcedonensi. Primum gradum Episcopo Romano, olim concessum, propter urbis dignitatem, quæ Imperium tenebat. Imperio Constantinopolim translato, cum esset orta controuersia inter Episcopum Romanum & Constantinopolitanum Patriarcham patrum sententijs, hunc illi exæquatum. Nunc autem extincto Romæ Imperio, & Constantinopoli à Tyranno Turcico insessa, quis dubitet sublatam vtriusq; dignitatem? Nisi forte, latam à Phoca Parricida sententiam Pontifex, vrget. Hoc illi per me liceat.

Venio ad Cæremonias, quæ ut nec religionem faciunt, ita nec hæreticum. Nam Cæremonias de essentia Religionis esse, nemo facile dixerit: & hæ sunt plerumque quæ illi fundamento superædificantur, ligna, fœnum, stipula.

Iam Rex, si quid alías errat, facilem se præbet: doceri cupit: & hoc est ab hæretico omnino alienum: Errare hominis est: ex errore velle emergere, hominis est ingenui & probi. Docemus, inquitis, Certe docetis gladio & igni: & hac Via operam luditis.

*Medias acies, mediosq; per ignes  
Inuenere viam.*

Sed nos furiosas istas mentes tandem depo-  
namus: & virilem Consulis Basiliensis sen-  
tentiam imitemur. Excommunicatus fuerat  
a P.P. Ludouicus Bauarus Imp. hunc nihilomi-  
nus sequebantur Basilienses. Carolo IV. elec-  
to, Pontifex, mortuo Ludouico, Episcopo  
Bambergensi mandat, vt eos, qui Ludouicūm  
sequui essent absoluere: Basileam Episcopus  
venit, absolutionem offert Senatui: Tum Con-  
sul, præsente Carolo Imp. Domine Bamber-  
gensis, inquit, sciatis, quod nec fateri nec crede-  
re volumus, Dominum nostrum Ludouicum,  
Imp. Romanum inquam fuisse hæreticum, &  
quemcunq; Imperij Electores nobis dederint,  
hunc recipimus, etiamsi nunquam Papam re-  
quirat.

Et nos, quem nobis Deus, Natura, Legesq;  
Francorum dederunt Regem, eum Regem &  
Dominum habeamus: neque Hæreticum eum  
credamus, Sed cogitemus eundem nos D̄evm,  
eundem C H R I S T V M colere: ad candem eter-  
nam beatamq; Vitam adspirare. Si quid minus  
conuenit, in medio sunt Libri sancti: Inuocato  
Deo, animo ad caritatem propenso, tentemus  
vias Pacis. Aderit, vocatus. Sin nondum tem-  
pus illud aduenit, quo componi dissidentes opi-  
niones possint, amemus tamen iuicem in uno  
illo Deo, in uno Christo, quem solum omnes  
colimus, in quo solo omnes speramus: & di-  
putationis finis sit, qui fuit fratum Hiero-  
polymis & Pauli: Dexteras societati demus in-  
uicem

vicem , & pauperum memores simus ; id est ,  
charitatis officia excolamus , atq; ex D. Pauli  
Præcepto , stultas & sine disciplina quæstiones ,  
& pugnas verborum deuitemus , ad nihil viles  
nisi ad subuersionem audientium .

Illuc venio , propter hæresin , non abrum-  
pendam esse fidem Regi aut Domino debitam ,  
neq; quenquam successione debita arcendum .  
Et hic quæro : Quales fuerint Cæsares , Impe-  
ratores , Reges , quibus & tributum soluit Chri-  
stus , quibus obedientiam reddere , pro quibus  
preces fundere Apostoli iubent ? Nempe infi-  
deles : non in fide errantes , sed à fide alieni , sed  
fidei hostes . Quales illi Imperatores , sub qui-  
bus maxime floruit Ecclesia , quæ tot excellen-  
tes Doctores , tot diuinos Martyres tulit ? Nem-  
pe infideles , fidei fideliumque hostes acer-  
rimi .

Christi & Apostolorum verba supra retuli .  
Hic Tertullianum audi , primæ illius & Sanctæ  
Ecclesiæ Doctorem . Christianus nullius est  
hostis , nedum Imperatoris ( loquitur ille , illis  
fidei hostibus ) quem sciens à Deo constitui ,  
necessè est , vt & ipsum diligat , & reuereatur &  
honoret , & saluum velit , cum toto Rom . Im-  
perio , &c .

Nempe vos ad istam normam viuitis , doce-  
tis ! qui Reges vestros reijectis , armis oppu-  
gnatis , per fraudem & scelus interficitis ! Non  
ita illi , illi non ore & labijs extremis Christiani .  
Sed verè solideq; Christiani : Imperatores qua-

les quales essent, pro Dominis habebant, illis  
tributa soluebant, ab illis Imperata faciebant,  
sub illis militabant.

Testis nobilis illa Legio, cui & obedientia  
in Imperatorem, & pietas in Deum, & ob pie-  
tatem, à Deo miraculum, Fulminatrici nomen  
fecit.

Veteres illi nostri Francorum Reges, qui hoc  
Imperium condiderunt, quod iam annos mille  
ducentos stetit, floruitq;, & absq; perfidiâ ve-  
stra floreret hodie, scilicet Christiani erant?

Reuolue & sacram Iudaici Regni histori-  
am. Reges inuenies à cultu diuino deficientes,  
populum ad Deos alienos trahentes : Inuenies  
& Prophetas, à Deo missos, & Sacerdotes à  
Deo constitutos, vitia illorum seuerè accusan-  
tes, diuinæ pœnas libere denunciantes : ad se-  
ditionem & rebellionem populum vocantem,  
nullum inuenies.

Quid Ieremias? Quærite, inquit, pacem Ci-  
uitatis, ad quam transmigrare vos feci, & ora-  
te pro ea ad Dominum. Iubet populum Dej  
pro Imperio Babylonico, & ciuitate in qua ca-  
priui erant, orare : & prohibet deinde au-  
dire Prophetas & diuinos, quos Deus non  
misericordia, id est, Sorbonistas, Monachos, Iesui-  
tas, &c. Qui seditionem canunt, & populum  
incendunt. Si pro extero Rege, qui vi populum  
detinebat, orare populum suum Deus vult:  
quanto vobis magis, pro vero & legitimo Re-  
ge, qui pacem restituere Regno parat, orandum  
patatis.

Neq;

Neq; Paul<sup>o</sup> Apost. Christianos qui Dominis  
Ethnicis seruiebant, liberat : sed iubet dicto  
audientes esse, & in honore habere Dominos,  
ne nomen Domini & doctrina blasphemetur.

In Regno autem Galliae, iam à multis annis  
Regum constitutionibus, religionem reforma-  
tam professi, parentibus, alijsq;, quamvis Pon-  
tificijs, succedunt : nec ex hæredare, ob causam  
religionis licet.

Et memorabile est, quod cum quidam Io-  
hannes Tanquerellus Theologiae Baccalaure-  
us in disputatione publica inter alia tenuisset,  
Regem aut Principem sanguinis fortè à Reli-  
gione Cathol. Apostolica. Rom. discendentem,  
posse à Papa, Regno, aut iure suo in Regnum  
priuari : Senatus Parisiensis Anno 1561. die 2.  
Dec: pronunciauit : Dictum Tanquerellum,  
aut eo absente Bedellum facultatis Theologi-  
æ in Collegio Sorbonæ, presentib<sup>o</sup> Decano &  
Doctorib<sup>o</sup> facultatis Theologicas, atq; uno ex p-  
sentib<sup>o</sup> Senat<sup>o</sup>, duobus Senatorib<sup>o</sup>, & Regis p-  
curatore generali, declaraturū, dicto Tāquerel-  
lo displicere, quod talē propositionē tenuerit,  
idq; imprudenter & inconsiderate fecisse, cum  
cōtrarium omni modo verum sit. Præterea hu-  
milissime petiturum à Rege, ut ignoscat & ve-  
niam iniuriæ det. Simul Senatum prohibitu-  
rum, ne talia deinceps aut similia proponantur.  
Et duos è Doctoribus Sorbonæ, ad id deputa-  
tos, ad Regem ituros, qui gratiam & veniam  
Collegio humiliſſime petant.

Eodem die ē Senatu delecti ad hanc rem  
fūre, Christophorus Tuanus, præses, Carolus  
Dormansius, & Bartholomæus Fayus, Sena-  
tores.

Vides, lector, vt paulatim pestes illę Regno-  
rum, spargere Venenum suum, & id mentibus  
hominum instillare cœperint. Postquam dis-  
putare ista publice non licuit, per emissarios  
suos sacrificulos & Concionatores infusurare  
plebeculae non destiterunt. Et aliquot paucis  
annis ante hoc bellum motum, Baccalaureus  
etiam quidam, Theses in Collegio Sorbonico  
publice proponere ausus est, inscriptas Abbatii  
Cluniacensi, Cardinalis Lotharingici notho,  
quibus defendebat, licere populo Reges haere-  
ticos Regno deijcere, pellere, interficere. Ad  
id, vt par erat, commoto Rege, ille ne forte ca-  
ptus, auctores tam scelerati dogmatis prode-  
ret, subitò interfectus est.

Scilicet hæc cum Christi, cum D. Pauli,  
D. Petri, doctrina conueniunt. Certe si hanc,  
veluti ianuam, aperueris seditioni, iam nullum  
Imperium tām bene constitutum, nulla fides  
tām sancta, nulla societas tām arcta, quin eam,  
hæresis prætextus soluat.

Sed hoc querunt isti: omnia misceri, omnia  
turbari volunt, vt res suas interim agant, &  
ambitionem exstinent. Si illis hoc semel, Re-  
ges Principesq; Christiani, dederitis, iam & in  
vos vestraq; inuolabunt: Iam Angliæ Regnum  
(& hoc tentarunt sèpius) iam Danicæ, iam  
Sueciæ,

Sueciæ, iam Scotiæ: iam Electoratus, iam Principatus Imperij, iam Republicas, iam & priuati cuiusq; facultates inuadent, & partientur inter se.

Ecce Iametium puellæ ducisse Bullionij, vir fortis, nemine (pro pudore) se commouente, obſidione mensium XVI. Lotharingus eripuit. Quo iure? Iametium opportuno ipſi loco ſitum, & ipſa puella Hæretica eſt. Quicunq; opulentum Regnū aut Prouinciam, aut facultates habuerit amplias, is continuo hæreticus erit Hispano & Lotharingis.

Ita Salusensem Marchionatum Sabaudus, ne forte in Hæreticorum potestate inueniret, homo pius & prouidus, inualit: Quem utinam vti bene cœperant, ita ferio castigassent, eius vicini. Sed φλαγματινού Σωτήριου ωλετέο

Hæc quod ad Hæresin, cuius prætextus sanè, apud Plebem non sanam, furialibus ſuperftitionis ſtimulis actam, plurimum habet momenti.

Reliqua iura videamus. Cardinalis Borbonij cauſam hic prætereo: quodd doctissimorum virotum scriptis explicata, nihil difficultatis amplius habeat. Etenim & Doctorum ſententijs, & exemplis innumeris, video Nepotem ex primogenito, patruo preferti, in eo quod iure primogenituræ venit: nec ipſem et Cardinalis valde contrariauerit, qui olim iura omnia ſua, quæ Borboniæ familiæ nomine competero ipſi poſſent, nepoti, tum Principi Nauarriæ.

cclxxv

cesserit. Et video seni, annorum amplius se-  
ptuaginta, iam de Regno Cælorum potius,  
quam de Regno Francorum cogitandum. Nec  
is aliud est Lotharingis, quam persona, quia de-  
testandam regnandi cupiditatem suam tegant:  
Namq; nondum eò impudentiæ deuenerunt, ut  
audeant publicè profiteri, Galliæ se Regnum  
sibi petere.

Mænius quid hic quærat, non facile video:  
nisi forte ambitionis & sceleris Guiſij fratris  
successorem se ferat, viuis Guiſij liberis: Si quid  
sibi aliud, turbato cæca ambitione cerebro, fin-  
git, id integrum ipsi relinquo. Titulum autem  
Vicarij Coronæ Franciæ, velim scire à quo ha-  
beat: Rege viuo, viuis tot Regij Sanguinis  
Principibus, inter tot Regij proceres, vnde &  
à quo titulus hic? nisi fortè à Parisiensi plebe-  
cula. Iam si plebi & sœci plebis licuerit, Re-  
ges, Regnorumque rectores constituere, Vide-  
dete ciues honesti, Nobiles strenui, proceres  
magnanimi, quid vobis & legitimè constitutis  
Imperijs atq; Rebus publicis faturum sit.

Ponifex Tyrannidem suam in Gallia inui-  
latam vult: hæreticum, Regnum Francorū ob-  
tinere, nō vult. Nempe idem ei ius, in Galliam,  
quod in Regna, quod in Prouincias omnes, de  
quo supra retulimus, & multi multa dixeré.

Si tibi, Sixte, hominum salus adeò curæ est,  
cur disseminatis & altis inter Christianos Prin-  
cipes, per maiores tuos, p te, dissensionibus, oc-  
cupari Mahometanis Asiam, Græciā, Hungari-  
am

am pateris? Cur tot hominum centena millia,  
perdita relinquis? In Turcas thesauros im-  
pende, Regum, Principumque animos, mili-  
tumq; ferrum exacue. Dissidia, quę inter Chri-  
stianos religionis diuersitas peperit, compone  
placidè rationibus legitimis, si Pater es, si Pa-  
stor; Si Christianus, si Homo es.

Sed tu aliam viam ingrederis: Eadem ra-  
tio, quę te in Galliam concitat, eadem te in Ger-  
maniam, & Illustrissimos S.R. Imperij Electo-  
res atque Principes, in Daniam aliasq; Prouin-  
cias excitabit: nisi Deus, quod spero, consilia  
tua, potenti brachio suo, & bonorum Princi-  
pum fœdere, fregerit.

Hispano ius in Galliam idem, quod Pellæo  
iuvenci. Et insignibus suis (arma vulgo, vocant)  
orbem addidit, quem terræ mariaque variant:  
ex eo equus anterioribus pedibus exsilit, cum  
hoc dicto, vñus non sufficit orbis. Neque cer-  
tè sine diuina mente, Catholici nomen ei indi-  
tum, qui complecti, homulus, puluis, & argilla,  
terrarum vniuersitatem velit.

Sed ait, nec posse nec velle pati, vt Franco-  
rum regnum Christianissimum hereticus tene-  
at. Stulte, terram illam sanctā, in qua natus, al-  
t'q; Christ' noster, in qua ob peccata nostra ig-  
nominiosissima morte affect', in qua nos à mo-  
te eterna illi' morte liberati sumus, per vim te-  
neri à Turcis pateris: Galliā à Christiano Prin-  
cipe, qui Christum sequitur, amplectitur, qui  
pro Christo mori non recusat (pro quo tu nihil

vñquam

Vnquam , nisi ossulam forte calidorem gustasti ) legitima successione teneri non patieris ? Eadem ratione Germanicum Imperium , Angliam , Daniam , Scotiam , Sueciam , Poloniā , Hungariam prouoces : Eadem ratione Catholicus esse velis , id est , vniuersalis orbis Terrarum Rex : Nam hic scopus tuus . Ambitio te peruersa , cæca , transuersum abripit , hominem sexagenarium , cui cras Deo reddenda ratio sit , turbati Christiani orbis , effusi innocentium bonorum , piorumque Sanguinis . Alij me vocant .

Lotharingus & Sabaudus , ius ab uxoribus suum tacite aduocant . Nam ille , defuncti Regis sororem in matrimonio habuit , & ex ea liberos habet complures , quorum natu maximus Marchio Ponti , in spem Regni educatus dicitur . Hic , Hispani filiam , natam & ipsam sorore alia Regis defuncti , duxit Vxorem . Obscurè hæc illi : palam defensionem Catholicæ Religionis , ( quam impugnat nemo ) præferunt . Eam causam Lotharingus expeditioni filij sui prætendit , quem in Galliam cum exerci-

In literis tu misit , ut , inquit , Principibus Catholicis ad Lingos sit , qui causæ nostræ defensionem in manus nenses , dasumpserunt .

Iuri isti à fœminis opponam ; perpetuam Regni Gallici consuetudinem , & ysu senten-  
tis Nanczi ad alijs ad tijscū ordinum confirmatam : de quo multi multa , qua passim extant . Sed nobilis imprimis controuersia fuit , intet Philippum Valensi-

am & Eduardum Anglum, dum hic, Matrem, Regis Francorum filiam, adducit: ille ius Regni, quod neque ad fœminas transit, neque per fœminas transfertur. Philippus, ut iure, ita & sententij vicit. P. Aemilius Veronensis Historicus, postquam pompam descripsit, qua Lutetiam Rex ingressus est, subjungit, exceptū tanquam vindicem Maiestatis Franciæ, legi Salicæ assertorem, qua vna, inquit, dignitas libertasque Francici nominis constaret: ne alienigenarum imperio, ne exterorum ditione teneri possent Franci, cæteris gentibus Reges legesque dare soliti.

Et prudenter, prudentissimus auctor Phil. Hist. Lud. Cominæus, legem illam, qua fœminæ & à fœminis descendentes Regno arcentur, summum Dei Beneficium vocat. Certe ea lege nos Maiores nostri, homines Sapientissimi à feminorum & exterorum imperio vindicarunt: quorum illud, præter naturam: hoc plerumque impotens & sævum. Nos viderimus, ne stultitia nostra, non in exterorum tantum, sed in hostium etiam nostrorum seruitutem decueniamus.

Animosè olim Magnulphus Episcopus, cum Greg. Tur. nescio quis, origine sua altè repetita (quod & lib. 7. cap. nostri hodie faciunt, qui Carolum M. atauum 37. iactant) Guntramno, & Childeberto Regibus molestiam ficeret: eumque turbulenti quidam, inter eos Desiderius, fouerent, Scimus, inquit, Regem esse Guntrammum, ac nepotem eius:

ei⁹: hunc autem nescimus unde sit. Estote ergo parati, & si voluerit Desiderius Dux, hanc calamitatem inducere super nos, simili, ut Si⁹ gulfus sorte depereat, sitq; omnibus exemplū,  
**N E Q V I S E X T R A N E O R V M F R A N C O -**  
**R V M A V D E A T R E G N V M V I O L A R E .**

Scimus ac nouimus Principes nostros: illos autem Alpibus, aut Arduenna Sylta erutos ignoremus, nequid nobis maioris mali inferant.

Sed nec eò impudentiae deuenerunt, vt palam ius illud suum ingerant: obmurmurant ista & animos plebis tentant. Interim vi agunt Religionis praetextu. Obsecro vos, quid in **Gallia Religionis Catholicæ defensore est op⁹?** An non cuique eam sequi atq; amplecti liberum? An quenquam Rex Christianissimus ad religionem suam cogit? an coegerit?

Constat, antequam ad hoc Regnum à Deo legibusque vocaretur, eum & in familia sua, & in Prouincijs quas summo iure tener, regno Nauarrę atq; Bearnia, non tolerasse modò Pontificios, sed etiam authoritate sua defendisse. Et ex quo Regni Francorum successionem cepit, nonne Principes Regij Sanguinis, nonne tot Nobiles, tot milites, tot Ciues Catholici, cum eo & sub eo liberè viuunt libertatis suæ certi? Namq; libertatem eis Rex ipse promisit: Rex, cui ludere fide sua, mos non est.

An tibi nunc, Lotharinge, ista quam prætendis, iusta videtur causa, Regnum Gallicum inua-

*De lettis singi  
partis.*

Inuadendi? Et ca tibi fuit Iametium, Bulloneæ  
Virginis oppidum , arcemque obsidendi , op-  
pugnandi , capiundi causa? Eadem Comitis  
Montis Pelicardi prouinciam , inuadendi , atq;  
deuastandi ? Eadem tibi causa erit, Heluetiam,  
Alsatiamque petendi : namq; & hæc loca, vt tu  
vis hæretica sunt , & tibi commoda : & si alas  
suas Ambitio tua extendit , eadem ratione An-  
gliam, Daniam, Sueciam, Scotiam , Poloniæ,  
atq; Hungarię magnā partem, Transyluauiam,  
imo Orientem totum , Africam atq, Asiam, &  
illos toto orbe remotos populos, petas.

Sed nullum tibi ius tantum in istos omnes,  
quantum in Germaniam. Imperij Princeps, sal-  
tem cum res tuæ ita ferunt , haberi vis : In re-  
gno Francorum neque dignitatem neque lo-  
cum obtines. Quid igitur tibi cum Gallia rei  
est? Quin Germaniam tuam purgas , in cuius  
maxima parte , iacet , illa Religio tua , quam  
Catholicam dicis?

Sed Regnum hoc putas , tuorum perfidiâ,  
Hispanicis atq; Pontificijs artibus , expositum  
prædæ. Falleris : Marchionem Ponti , Gallia  
Regem non feret. Et hoc Deus ne finerit, vt in  
istius monstrj humeros , tanti Regni fastigi-  
um ritat.

Non adeo turbata vestris artibus res Galli-  
ca, vt Lotharingis etiam despectui esse debeat.  
Super est, fidâ , nobilitas , toties victor exerci-  
tus, & quamuis incertis rebus , amici certi : &  
si hi non sint , superest vltor scelerū , & suorum

E                    custos

custos D E v s . Idem numen, eadem fides, quæ  
Henricum III. Regem Nauarræ, aduersus in-  
fidias vestras , aduersus vires vestras seruauit,  
seruabit & hodiè Henricum IIII. Francorum  
Regem. Christus Christianissimum Regem  
non deslituet : contra quem , si pugnare pergi-  
tis, videbunt iusti, iusta Dei iudicia, & letabun-  
tur. Sed hic ego vos, Principes , S. Rom. Im-  
perij Principes appello : Pacem Religionis in  
Imperio prudentissimo consilio constituitis :  
Consilium vestrum, vestigiaque Rex Christia-  
nissimus sequitur. Et hoc per Lotharingiæ du-  
cem , Imperij vestri membrum , Regi in re-  
gno suo non licebit ? Hoc , si improbare statu-  
ta Imperij atque condemnare aperte non est,  
quid sit bona consilia corrumpere , nescio.

Sed vos , Reges Principesque castigate,  
quæso, nouum hunc Religionis Romanæ de-  
fensorem : Atque ite obuiam & prætorquere  
iniuriæ collum, antequā ad vos perueniat. Nox  
ruit : & vos, alij consultando, alij aliud agendo  
ducitis tempus : Interim illi armis in Regna  
ruunt.

Te Deus opt. Maxime, qui Francorum Re-  
gnum , annos amplius mille ducentos seruasti,  
auxisti : Te Christe cuius sanctum nomen pro-  
fitemur , cuius puram doctrinam sequimur,  
precor, venerorq; vt cum hoc Regno Regem  
quem nobis dedisti , vti fecisti hactenus, tuea-  
ris & protegas.

Tua

Tua est, DOMINE, magnificentia, &  
potentia, & gloria, atq[ue] Victoria, & tibi  
laus. Cuncta enim, quae in Calo sunt, & in  
terra, tua sunt: tuum DOMINE Regnum,  
& tu es super omnes Principes. Tuæ diuitiae,  
& tua est Gloria: tu dominaris omnium, in  
manu tua virtus & magnitudo & imperium  
omnium. Nunc igitur DOMINE, con-  
fitemur tibi & laudamus nomen tuum in-  
clytum, in secula seculorum,  
AMEN.

F I N I S.



1819261